

99

Sammelband

Ka

+



Q. D. O. M. B. V.

DE

NATURA, DIVISIONE,
ORIGINE, ET PROGRESSU
PHILOSOPHIÆ, CUM PRIMIS
ARISTOTELICÆ, VARIIS ITEM
PHILOSOPHORUM
SECTIS

EXERCITATIO,

Quam cum ex privatis tum potissimum
publicis dissertationibus

ANDREÆ FRÖLINGII
PHILOSOPH. MAG. ET LOGICES
PROF. PUBLICI

de promptam,

EODEM PRAESIDE


publico examini exponit

ARNOLDUS RETBERGIUS

NORTHEIMENSIS.

IN NOVI IVLEI AUDITORIO MAXIMO

Ad diem Maji



HELMESTADII,

TYPIS JOHANNIS HEITMÜLLERI

Anno cl^o l^o cl^{ix}.

8



V I R I S
ADMODVM REVERENDO AMPLISSIMO
ET CLARISSIMO

DN. M. CHRISTOPHORO BÖSENIO,
Schöningensis ecclesiæ Pastori fidelissimo,
& vicinarum Superintendenti Speciali longe
dignissimo,

NEC NON
NOBILI ET AMPLISSIMO

DN. JULIO HAKEBERGIO,
Illustrissimæ ac Celsissimæ Principis ANNÆ
SOPHIÆ ex Electorali Brandenburgica stirpe prognatæ,
Ducis Brunsvicensium & Lunæburgensium Viduæ, in-
timo Consiliario & Supremo Præfecto
Spectatissimo,

UT ET
NOBILI AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

DN. AUTORI SEUBERER & N
primaria & antiqua gente Patritiorum
Brunsvicensium orto, Hötenslebiensi Præ-
fecto dignissimo,

Dominis Patronis, Hospiti admodum benefico,
& insignibus suorum studiorum Promotoribus,
in mentis devotæ, gratæ & peraddictæ te-
stimonium æternum

Dat, dicat, consecrat, offert,

ARNOLDUS Ketzberg



Εὐν ἴω εἰπ

THESIS I.

Philosophiæ vocabulum ambiguum est. Aliquan-
do enim, quo ipsa ejus notatio ducit, amorem studi-
umque sapientiæ, atque adeo itionem & progressum
ad habitum ejus acquirendum significat. Ita accipit Tul-
lius secundo de officiis libro. Nec non Seneca Ep. 89. ubi,
dicam, inquit, inter Sapientiam & Philosophiam quid intersit.
Sapientia perfectum bonum est mentis humana. Philosophia
sapientiæ amor est & affectatio. Hac ostendit (sive, ut Lipsio
videtur, contendit) quò illa pervenit. Et paucis interjectis:
Quomodo multum inter avaritiam & pecuniam interest, cum
illa cupiat, hac concupiscatur: sic inter Philosophiam & sapien-
tiam. Hac enim illius effectus & premium est. Illa venit, ad
hancitur.

I I. Interdum verò pro ipso habitu seu possessione
sapientiæ accipitur. Cujus acceptionis auctorem, imò illi-
us ipsius nominis inventorem Pythagoram fuisse ferunt
Cicero lib. 5. Tusc. quæst. Lactant. lib. 3. divin. instit.
cap. 2. Plutarch. l. 1. de placitis Philosophorum cap. 3. Di-
ogenes Laërt. proœmio Vitæ Philosophorum præmisso;
& alii. Nimirum ante hunc *Qui, verba Tullii sunt, in-re-*
rum contemplatione studia ponebant, Sapientes & habebantur
& nominabantur: idq; eorum nomen usq; ad Pythagora mana-
verat etatem: ipse verò, etsi illi quoque rei haut vulga-
rem operam impendisset, maluit tamen Philosophus
quàm illorum exemplo Sapiens appellari.

A

III. Enim

VI. Tantopere autem Pythagoræ istud institutum placuit subsecutis, ut ex eo tempore tantum non omnes sint imitati; nomenque Philosophiæ pro Sapiëntia ubique locorum, ubi aliquis ejus cultus & pretium, usurpetur.

VII. Definitiones seu descriptiones ejus variæ à variis cuspæ passim reperiuntur. Plato modò *meditationem mortis* appellat: mortis nimirum, quam vocant, moralis, quæ mens in corpore quidem manens, ab ejustamen confortio separatur, atque à malis cupiditatibus abducitur: ut vitiorum & affectuum vinculis soluta cò rectius & liberius divina contempletur; modò *reditum ad Deum & similitudinem cum eodem, quoad homini licet*: Quæ similitudo potissimum in contemplatione consistit atque veritatis cognitione. Unde alibi Philosophos veros appellat, qui *veritatis inspiciendæ cupidi sint*, (dial. v. de rep. vel de justo) alibi *qui attingere possunt id, quod semper secundum eadem eodem modo se habet* (dial. vi. de rep.) ipsam verò Philosophiam vocat *anima circumductionem à nocturno quodam die, ad eius, quod verè est, contemplationem*. (dial. vii. de rep.)

IIIX. Alias aliorum, quæ infinitæ ferè sunt, non afferemus. Videre eas, qui volet, poterit apud Lipsium lib. 2. Manud: ad Stoic. Phil. diss. 2. Conimbr. proœm. in libb. Phys. Scheibl. tract. de philosophia sect. 2. aliosque recentiores. Nobis præferenda reliquis omnibus videtur ea, quam adfert Aristoteles lib. 2. Metaph. cap. 1. quod videlicet Philosophia sit *ἐπιστήμη τῆς ἀληθείας*.

IX. Enimvero cum Philosophi & Sapiëntes sint iidem; hi verò omnium confessione tales, qui, ut supra Tullium loquentem audivimus, in contemplatione rerum studia ponunt, verumque in iis deprehendunt: profecto nemini potest esse obscurum, Sapiëntiam, unde sapiens quis est

Et dicitur; atque adeo Philosophiam esse certam veritatis;
quæ scientia dicitur, cognitionem.

X. Non tamen existimandum est omnem statim &
quarumcunque rerum qualemcunque cognitionem au-
gustum sapientiæ aut Philolophiæ titulum jure sibi ven-
dicare: sed oportet sapientem (philosophum) nosse omnes res;
quoad eius fieri possit, non quidem speciatim, sed universe: tum
scire difficillima quæq; & occultissima. Nam quæ sensibus obie-
cta sunt, & patent omnibus, cognoscere, non facit hominem sa-
pientem (philosophum.) Deinde habere non popularem & a-
dumbratam notitiam rerum, sed exquisitam & omnibus nume-
ris suis absolutam, quam & ipse quàm rectissimè teneat, & alios
ritè docere valeat: secundum Philosophorum Principem
lib. 1. Metaph. cap. 2.

XI. Idem docet Alexander celeberrimus ejus inter-
pres, cum in proœmio priorum ait: ἡ γὰρ ἡ ἴσως τῶν πραγμάτων
ἡ ἴσως τῶν πραγμάτων γνῶσις φιλοσοφίας ἀξία, ἐνία ἔν ἀμείνον ἀγνοεῖ-
σθαι, ἢ ἢ τῶν πραγμάτων τῶν πραγμάτων: uti hæc citat doctissimus
Piccartus aureo libello, quem Isagogen in lectionem
Aristotelis inscripsit, cap. 15:

XII. Suffragatur Toletus proleg. comment in Phys
libb. Aristotelis: ubi, *Philosophia*, inquit, quædoq; pro scientia
peculiari, quæ *Metaphysica* dicitur, sumitur: quandoq; pro omniū
scientiarum cumulo, ut *Philosophus* non aliud sit, quàm sciens
omnia, ut sciri possunt, ut dicitur 1. *Metaph.* Hoc autem non u-
nico habitu fit, sed multis: sicut enim non unus sensus inest a-
nimalibus; quo cuncta sentiunt, sed varij, omnibus autem simul
perfecta fit sensatio: ita non unicâ scientia & habitu cuncta
cognoscuntur, sed multis, omnes autem simul perfectissimam ac
generalem cognitionem omnium faciunt, quæ quidem dicitur
Philosophia.

XIII. Hinc, quod ὡς ἐκ παρόδου addimus, id quoque pla-
num

num evadit, ne utiquam adhuc Philosophos esse, quide-
quacunque etiam quaestione, communibus quibusdam
& persuadentibus rationibus, promptè licet & acutè dis-
ferere, & in utramque partem disputare norunt. Qui tamè
error multorum animos in sedisse videtur. Major quippe
est Philosophiæ dignitas & amplitudo, quam ut hac re ab-
solvatur istisve limitibus comprehendatur. Munus isthoc
dialecticæ competit; quæ tantum abest ut philosophia sit,
ut viam solum ad eam expeditiorem sternat, ceu Aristo-
teles docet lib. 11. Top. c. 2.

XIV. Cæterum cum collectum aliquid sit ex multis
Philosophiæ, & plura ambitu suo contineat, operæ quoque
pretium facturi videmur, si de ejus divisione aliquid sub-
jungamus. Et Veteres quidem nonnulli, Platonici nimi-
rum & Stoici tripartitam eam fecerunt, in *Moralem*, *Natu-
ralem* & *Rationalem* dirimentes, uti videre est apud Cice-
ronem 1. Acad. quaest. Senecam Ep. 89. Plut. 1. 1. de plac.
Philosoph. c. 1. Diog. Laërt. in vita Platonis. Aug. 1. 8. de C.
D. c. 4. Senecæ verba, quoniam perspicuè rem proponunt,
dare lubet. *Philosophiæ*, inquit, *tres esse partes dixerunt &
maximi & plurimi autores*. [procul dubio Zenonem Stoicæ
sectæ autorem, aliosque ex illa disciplina principes viros
intelligit.] *Moralem Naturalem & Rationalem*. *Prima com-
ponit animum; secunda rerum naturam scrutatur; tertia
proprietas verborum exigit, & structuram & argumen-
tationes, ne pro vero falsa surrepant.*

XV. Verum non potuit sese isthæc divisio Aristoteli
ejusque disciplinam secutis satis probare, hanc cum pri-
mis ob causam, quod eadem Logica, imò etiam Rheto-
rica comprehendatur: quas tamen Ipsi non tam partes
esse Philosophiæ, quam instrumenta censent. Suam igitur

A 3. tur,

tur, eamque bimembrem substituerunt, omnem Philosophiam vel Contemplativam vel Activam constituentem.

XVI. Et Contemplativa quidem seu Theoretica illa est, quæ res objectas docet tantummodo scire & contemplari: atque adeo cum illæ apertæ factæ sunt & ad cognitionem sui pervenerunt, ulterius non progreditur. Activa verò seu Practica & ipsa quidem cognoscere nos aliquid & scire facit, in cognitione tamen illa & scientia non sistit, sed secundum illam actiones instituere docet; tota quippe ad virtutem, mores, vitamque agendam spectans, & in hunc finem acquisita.

XVII. Habet autem hæc divisio firmissimum fundamentum, ab ipsius objecti, ex cuius unitate vel diversitate unitas vel distinctio scientiarum arcessenda est, (vid. Aristotel. l. 3. de anima. c. 8.) naturâ desumptum.

XVIII. Nimirum objectum Philosophiæ sunt res seu *ὄντα*, circa quæ veritatem in iis indagando ipsa versatur. Iam illæ res duum generum esse deprehenduntur. Quædam ita se habent, ut, quemadmodum Aristoteles loquitur lib. xi. Metaph. c. 6. *in se ipsis habeant motus principium non in nobis*: de quibus scilicet ut sic vel aliter fiant, aut ut omnino fiant vel non, in potestate & arbitrio nostro non est quicquam constituere, atque adeo nihil nobis relictum, quam ut in iis cognoscendis operam ponamus. Cuius postquam aliquod pretium consecuti fuerimus, acquiescere & possumus & debemus. Hinc Theoretica seu Contemplativa Philosophiæ pars emergit

XIX. Deinde aliæ res ita sunt comparatæ, ut *principium motus earum sit in nobis*, de quibus ut fiant vel non fiant, aut ut hoc vel illo tempore, cum his illisve circumstantiis fiant, constituere in nostra situm est potestate & à nostro arbitrio dependet. Unde non cognoscere tantum

tum eas licet, verum etiam circa ipsas aliquid operari & agere: imò ut hoc fiat natura earum prorsus exposcit. Vid. Aristol. lib. x. Eth. Nic. cap. ult. Atque hæc talia alteri parti, quam Activam seu Practicam vocant, subiiciuntur.

XX. Sic itaque se habet genuina philosophiæ divisio, ejusque verum & firmum, cui superstructa incumbit, fundamentum. Etsi enim nonnulli à fine potentiæ cognoscen- tis, seu ipsorum habituū, hanc rem arcessere malint, non est tamen sat causæ, cur iis hæc quidem in re adstipulemur. Etenim, ut nihil dicamus de authoritate Philosophi, quæ nos præcuntem habemus l. vi. Metaph. c. i. & lib. xi. Met. c. 6 finium isthæc diversitas alteram illam objectorum diver- sitatem supponit, eiq; tanquam fulero innititur. *Distinctio finium*, inquit recte Pererius lib. i. de communibus rerum naturalium principiis & affectionibus cap. 3. *oritur neces- sariò ex distinctione objectorum: nam causa quare finis pra- ctica sit operatio vel opus, est, quia objectum eius est quippiam operabile, non autem contra: similiter contingit in speculati- va. Quare principium & veluti radix huius distinctionis (philosophiæ in speculativam & practicam) hæret in objecto.*

XXI. Neque enim propterea, quia intellectus aliquid hoc vel illo modo cognoscendum sibi proponit, etiam ita cognoscendum est; sed, quia natura ejus exposcit, ut ita & non aliter cognoscatur, intellectus etiam, modò re- ctè te gerat, ad istum modum cognoscere intendit: quem- admodum non propterea, quod nos te verè putamus album esse, tu albus es: sed propterea, quod tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus, ut illud Philosophi huc accomodemus ex lib. ix. Met. cap. ult.

XXII. Est verò adhuc observandum, nomen Philoso- phiæ,

phia, si strictè & præsertim conformiter menti Aristotelis sumatur, cum sit vocabulum ab uno, de suis illis partibus non dici univoce sive κατὰ μίαν φύσιν, ut Philosophus loquiamur: atque adeo naturam, quam menti obiicit, cum iisdem æqualiter & pari honore non communicare; sed πρὸς μίαν φύσιν & inæqualiter: de alterâ, quæ in contemplatione tantùm versatur, κυρίως, καὶ πρῶτον, de alterâ, quæ ad actionem pertinet, κατὰ δεύτερον μέρος, & cum aliquo ad illam respectu.

XXIII. Quando itaque, quod in talibus plerumque fieri consuevit, ipsum vocabulum absolutè & sine addito ponitur; denotat non nisi facultatis cognoscentis perfectionem, quæ consistit in rerum præstantissimarum contemplatione. Quod si alteri etiam parti, quæ ad actionem refertur, idem nominis tribuere velis, necesse fuerit, ut vel per materiam moralem civilemve; vel per additam limitationem arctes: atque ita ab altera primò & principaliter tali philosophia sejungas. Quæ in re Aristoteles suo exemplo prævit, dum practicam illam modò vocat τὴν περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφίαν lib. x. Ethic. Nic. cap. ult. modò λόγους κατὰ φιλοσοφίαν, ἐν οἷς διαίρεται περὶ τῶν ἠθικῶν: nec non φιλοσοφίαν πολιτικὴν lib. iii. polit. c. xii.

XXIV. Neque dubium est, quin animum isthuc intenderit Idem, quando superius laudatam nobis dedit Philosophiæ definitionem, quæ Theoreticæ magis competit, quàm practicæ. *Illius enim finis (ultimus scilicet) veritas est; huius autem opus:* uti illo ipso loco [2. Met. c. 1.] philosophus subiungit. Hæc nimirum etiam vocabulorum ab uno natura est, ut, quamvis defini commode non possint: si tamen definitio sit afferenda, vel imperfecta & rudi debeamus esse contenti; vel quæ sit primi, ut vocant, analogati & principis ac perfectissimæ speciei: seu
uti

uti Scherbius ait, *qua primam solum formam respiciat.*

XXV. Et sanè, si accuratè rem putemus, Practicæ disciplinæ non alia ratione ad philosophiam pertinere videntur, nisi quia habent aliquid θεωρητικὸν & ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας: quo etiam nomine in scientiarum numerum referuntur. Scire, inquit Peterius lib. i. de comm. rerum nat. princip. & affect. c. 4. *qui est finis scientiæ, per se competit speculativa, practica autem non nisi propter opus: quod si doctrina practica est & vocatur scientia, hoc ei accidit, prout aliquo modo assimilatur speculativa, & continet aliquas speculationes.*

XXVI. Ipsæ nimirum non secus atque Theoreticæ subjectivè (uti scholæ loquuntur) sunt in intellectu, cumq; perficiunt, atque ad munus proprium, quod est cognoscere & contemplari, seu, uti Philosophus loqui amat vi. Nicom. c. iii. τὸ ἀληθεύειν, probe exequendum habilem promptumq; reddunt. Atque hoc commune habent cum Theoreticis disciplinis. Quod verò hæc non sistunt, sed ulterius progressæ agere etiam aliquid secundum notitiam acquisitam docent, eo ipso peculiaritatem præ illis & naturam & nomenclaturam sortiuntur.

XXVII. Cognoscere id licet ex communi mortalium & sentiendi & loquendi consuetudine: quâ illi, qui, quæ practica Philosophia exigit ac præscribit, quorum etiam gratia addiscitur, quam rectissimè interdum præstant; viri quidem σπεδαῖοι, prudentes & rerum agendarum periti salutantur, in Philosophorum tamen numero non ponuntur: ceu liquet, ut paucos ex infinitis proferamus, de Aristide, qui ob vitæ integritatem Iusti cognomen tulit, Pericle, Themistocle, Alcibiade, Græcis; Scipionibus, Fabiis, Metellis, Romanis. At contra qui circa eadem speculando versantur, univer-

B

salia



alia cognoscunt, & ex suis causis, quoad licet, arcessunt, aliosque recte vivendi agendique rationem docent: ii demum Philosophi & existimantur, & appellantur. Instar omnium Socrates nobis esse potest, qui omnium confessione Philosophus, imò ipsius Apollinis sententia mortalium sapientissimus judicatus est, nullam profectò aliam ob causam, quam quod in rebus ad vitam pertinentibus inquirendis perspiciendisque multum operæ posuisset, & cum de tota natura nihil ageret, ea tamen, quæ ad mores pertinent, ita tractaret, ut in ijs universale quæreret mentemq; primus ad definitiones applicaret, uti Philosophus noster de eo testatur lib. I. Metaph. c. 6. & lib. XII. c. 4.

XXIIX. Cæterum utraque illa Philosophiæ pars in alias sibi subjectas porrò dispescitur. Et Theoretica quidem sive speculativa in Metaphysicam seu primam philosophiam, quæ Ens, quatenus est ens, ejusque conditiones & species explicat; in Physicam sive naturalem philosophiam, quæ corpus naturale, quatenus est naturale, ejusq; affectiones & species considerat; ac denique in Mathematicas disciplinas, quæ circa quantitatem versantur, eamque vel continuam, vel discretam, modo itidem à materia abstractam, modo cum eadem concretam. Unde aliæ puræ, aliæ mixtæ appellantur. Practica verò in Ethicam sive Politicam *πρὸς τὰ ἦθη*, & Politicam specialiter ita dictam. Quarum omnium rationes specialiores cum sub initium singularum disciplinarum particularium soleant, & omnino debeant explicari; nos innuere tantum contenti, ad alia & primo quidem originem Philosophiæ ostendendam progrediemur.

XXIX. Ubi præmonendus est benevolus Lector, non
fu-

futurum nobis sermonem de modo & ratione, quã hodieque communiter in possessionem tam præclaræ rei veniamus: notum quippe est eam comparari & acquiri partim disciplina & institutione, partim crebro usu & exercitatione; sed disquisitum iri, ubi & quo tempore cœperit Philosophia, per quos homines primum sit exculta & ad alios deinceps transmissa.

XXX. Qua de re gentiles quid senserint, si inquiremus, meras tenebras, maximam incertitudinem, nil nisi conjecturas fabulis involutas, imò crassa mendacia deprehendemus. Quum enim veros omnium rerum natales ignorarent, fieri aliter non potuit, quin, de rebus aliquantum ab ætate sua remotis acturi, earumque initia ostensuri, misere hallucinarentur.

XXXI. Neque vero ipsos omnino latuit hæc difficultas. Quod vel ex unica illa temporis in ἀδηλον, μυσικὸν & ἰσορικὸν distinctione elucescat, quæ tribuitur Marco Terentio Varroni; quo, iudice Lactantio l. i. instit. c. 6. *nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit; quem Cicero diligentissimum antiquitatis investigatorem;* (in Bruto) Quintilianus Romanorum eruditissimum, omnis antiquitatis, & rerum Græcarum Latinarumq; peritissimum, (lib. 10. instit. cap. 1.) viventem etiã, cum multum valet invidia, *doctissimum omnium togatorum* appellarunt. Is nimirum *Vir tam insignis excellentisq; peritia* (Augustino ita dicitur inter alia plurima e-logia l. 6. de C. D. cap. 2.) *tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem; quod propter ignorantiam vocatur ἀδηλον. Secundum à cataclysmo priore ad Olympiadem primam; quod, quia in eo multa fabulosa referuntur, μυσικὸν nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos di-*



*citur ἰσομῶν: quia res in eo gesta veris historiis conti-
nentur: quemadmodum ista legimus apud Censorinum
lib. de die natali cap. 21. Sed & Plutarchus, scriptor sane
gravissimus nec mino diligens antiquitatis investigator,
Thesei vitam scripturus, ea, quae Theseo superiora sunt,
monstruosa & tragica Poetas & fabularum scriptores de-
pasci, neque ultra fidem obtinere vel certitudinem, ingenuè
fatetur.*

XXXII. Atque eo magis ridiculi & vani esse depre-
henduntur Græci, qui non sibi tantum, sed aliis etiam
persuadere voluerunt, apud se natam primum & educa-
tam esse Philosophiam. Nimirum probè intelligebant
homines minimè stupidi & gloriosi, quantum ad
commendationem gentis factura esset sapientiæ inven-
tio: nihilque molestius ferebant, quam si Barbari (quos
vocabant) tam præclaræ rei autores propagatoresque
dicerentur. Hinc Diogenes Laërtius vitas Philosopho-
rum scripturus, id sibi præprimis incumbere existimavit,
ut quacumque tandem ratione Philosophiam non Bar-
baris, sed Græcis originem debere evinceret, aut potius
evicisse videretur.

XXXIII. Sed nihil opus est ut in hoc quidem
commento refutando multum operæ ponamus: cum
non tantum ex sequenti *παραίεα* falsitas ejus mani-
festissima sit futura; verum etiam ipsorum optimus
quisque maximeque ingenuus aliter semper senserit:
imò ipsi Laërtio non fuerit impune per Adrasteam.
Quin potius ad id, quod verum est, proponendum sine
ambagibus accedamus.

XXXIV. Id autem non aliunde rectius certiusve
quam ex sacris literis cognoscemus. Hæ docent Deum
Opt. Max: uti omnis boni, sic etiam sapientiæ autorem,
imò

imò ipsissimam Sapientiam, primum humani generis parentem Adamum ad sui imaginem condidisse: sub qua excellens sapientia, sive, uti B. Lutherus Comm. in Genes. c. 1. loquitur: non tantum *vera noticia Dei, & voluntas rectissima ad diligendum Deum & proximum*; verum etiam *cognitio natura perfecta, animalium, herbarum, fructuum, arborum, & aliarum creaturarum* comprehensa est: unde nostrum etiam philosophari adhuc esse *scintillam relictam ex primæva & originali natura nostræ integritate* recte scribit Scheiblerus tract. de Philoloph. sect. 7. art. 3.

XXXV. Neque enim vero est simile perfectionem & felicitatem illam, quam hominis naturæ maximè convenire gentiles etiam cognoverunt, homini undiquaque felici defuisse. Imò vero omnino decebat Adamum, ceu primum parentem & hominum generandorum magistrum ac gubernatorem futurum, ita abundare sapientia humana, ut nihil eorum, quæ vel ad naturæ abstrusa, vel ad vitam bene beateque transigendam pertinent, aut quæ ullo modo mens humana assequi valeat, temerè ignoraret.

XXXVI. Indicare id voluisse videtur Siracides cum Deum dicit *replevisse primos illos homines ingeniosa scientia & eis bona simul & mala indicasse*, cap. xvii. v. 6. Animalium certè naturam accuratè cognitam fuisse Adamo, vel sola testetur nominum ipsis congruentium per eum facta impositio: de qua Moses Genes. ii. v. 20. *Appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cæli & omnes bestias terræ*. Ad quem locum Interpretes notant eodem significari, Adamum unicuique dedisse nomen naturæ ipsius accommodatum, seu quod aliquo modo naturam referret & indicaret.

XXXVII. Hinc jam obscurum amplius esse non potest,



test, primum omnium mortalium eumque longè præstantissimum philosophum existisse Adamum. Is jam, si in statu integritatis perstitisset, præclarissimæ rei possessionem, quam ἀμείωτος à Deo ipso acceperat, ad posteros transmisisset, vel, ut aliqui existimant, per generationem, vel per traditionem & institutionem, absque tamen molestia, ob ingenii mire capacis vigorem; accedente insuper gratia Dei speciali.

XXXIIX Verum enim vero, quod cum maximo nostro damno novimus omnes, nec sine ingenti dolore possumus meminisse, tanta felicitas non fuit diuturna. Postquam enim ab uxore, nequissimi Sophistæ Diaboli fraudibus decepta persuasus, præceptum Domini violasset Adamus, cum alia multa & præstantissima bona, tum etiam de sapientia & cognitione illa plurimum amisit. Cujus curiositatis & prævaricationis hodieque tristes pœnas pendere omnes cogimur. Cum enim, ut alia longe graviora damna silentio prætereamus, densis ex eo ignorantia tenebris mens nostra obscurata sit, quanto, Deus bone! labore opus est, quot quantaque molestia devorandæ, ut aliquid saltem illius cognitionis acquiramus. Neque enim unquam ad perfectionem, hanc vitam dum vivimus, pervenire datur.

XXXIX. Ipsos primos parentes non aliter, quod perdidit, recuperasse credendum est. Cum enim aliquas amissæ Sapientia reliquias, velut magni ignis scintillas & sub cinere sopitas adhuc retinissent: dubium non est, quin mitigato per temporis longinquitatem dolore, in quem ob tristissimum lapsum coniecti erant, ad illas suscitandas & in flammam aliquam producendas animum applicuerint. Quod non sine labore & studio contigisse existimamus.

XL. In.

XL. Interim negandum forte non est, postquam in gratiam à Deo sunt recepti, speciali hujus auxilio, plurimum eos fuisse in hoc negotio adiutos: multaque, cum primis quæ ad vitam pertinerent, ex familiari Numinis alloquio rescivisse. Neque parum momenti attulit diuturnior illorum vita, per plurium seculorum tractus producta. Enimvero cum scientiarum disciplinarumque firmitas & certitudo firmitati & certitudini principiorum innitatur, horum verò cognitio ab experientia dependeat, patet profecto ad scientias primum constituendas accuratiore experientia, quæ multorum annorum fuerit, opus fuisse.

XLI. Hinc Theophrastus, insignis Philosophus, Aristotelis discipulus & in schola successor, etsi in summa, pro ratione illius temporis, ætate moreretur: [erat enim annorum 85.] accusasse tamen naturam seu Deum dicitur, quod, cum cornices aliaque animalia longissime vivant, hominis, qui tamen divinum & rationis capax animal sit, vitam brevissimis spatiis circumscripsisset: quæ si ad aliquod secula prorogaretur, futurum, ut artes & scientiæ omnes melius perficerentur. In quibus hoc quidem recte se habet, quod ad artes & scientias perficiendas, nedum constituendas multum temporis requiri vir præstantissimus existimavit: In eo autem falsus est quod omni tempore homines eò tantum usque vitam produxisse putavit: cum antiquorum Patrum *μακροβιότητι* ignoraret homo gentilis.

XLII. Rectius Josephus Antiq. Jud. lib. 1. c. 3. Illi, inquit, (loquitur de primis hominibus) *Deo chari cum essent, ipsiusque recens etiam tum opificium, & commodiore vitæ ad diuturnitatem uterentur, merito per tam multos annos vivebant. Præterea tum propter studium virtutis, tum*
pro-

propter utilitatem inventarum artium, ut Astronomiæ & Geometriæ, Deus illis prolixiorē largitus est vitam: quarum certitudinem assequi non poterant, si minus DC. annis vixissent: extot enim magnus annus constat.

XLIII. His itaque adminiculis instructos, tot annorum, imò seculorum continuata serie, indefesso studio magnæ illius jacturæ reparationi incumbentes, haut profecto parum profecisse priscos illos homines, imò recte constituisse philosophiam, eique fastigium, quod quidem illo rerum statu poterant, imposuisse credendum est. Ex quo jam manifestum evadit, unde philosophiæ omnisque sapientiæ origo sit arcessenda. Primus scilicet Philosophus fuit is, qui primus etiam homo: quique Philosophiam immediate, uti loquuntur, accepit à Deo creatore. E cujus postmodum possessione deturbatus quidem, non tamen penitus ejectus, eam modo, quo diximus, recuperavit, & præstantissimus omnium Philosophorum evasit.

XLIV. Ab hoc acceperunt filij, primum Cain & Abel: quorum ille tamen degener doctrinam à parentibus acceptam deseruit, & in impietatem prolapsus, fratrem nefariè occidit. In ejus locum postea Seth successit, qui non minus quam Pater sapientiam, maximè verò illam, quæ relictis terris in coelum subvolat, & sidera contemplatur, coluit. Cujus non ipse tantum peritissimus evasit, sed & ad posteros de eadem transmittenda laboravit. Qui & ipsi Patrem & Doctorem suum graviter sunt secuti. Nam, uti tradit paulò ante adductus Josephus, autor fide dignus, lib. I. Antiq. Jud. c. 2, *ne inventa sua ex hominum notitiâ dilaberentur, & prius perirent, quam pernoscerentur, scientes Adamum universalem rerum interitum præcecuisse, unum incendio, diluvio alterum, exci-*
tatis

etatis duabus columnis utrique sua inventa inscripserunt: ut si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & qua inscripta continebat, spectanda exhiberet. Addit Josephus, lapideam ab ipsis dedicatam perhiberi suis temporibus adhuc in Syria existare.

XLV. Verum utcumque sese res illa habeat, qualis etiamcumque fuerit illa scriptio: (de quâ ejusque origine hâc occasione inter se disceptant viri docti) id certo affirmare posse videmur, à Setho ejusque posteris sapientiam seu philosophiam continuis traditionibus, quod propter *μανεσθιο* *ἱστορία* rectissimè fieri poterat, usque ad Noachum propagatam fuisse. Vixit is ante inundationem annos sexcentos: atque ita cum abaliis, tum vero à patre suo Lamecho avoque Mathusalemo, qui cum ipso Adamo vixerant, multa præclara & potuit & debuit didicisse.

XLVI. Ab hoc porro, velut altero generis humani parente atque instauratore, ejusque posteris, tanquam è fonte quodam, omnis sapientia, omnes artes & disciplinae per universum terrarum orbem manarunt; in Hæbræos, Chaldæos, Ægyptios, Æthiopas, Indos, Persas, Scythas, Gallos, & quicquid aliud alibi postea hominum fuit. Nec vero temere ulla gens exstiterit, quæ non aliquos ex se oriundos sapientiæ nomine celebres ostendet.

XLVII. Apud Hæbræos, qui Iudæi postea vocati sunt, post Semum aliosque inclaruit Abrahamus, vir non tantum pietate, sed admiranda etiam rerû coelestium humanarumque notitia insignis. Unde scriptor modo laudatus l. 1. antiq. c. 7. & 8. magnifice eum de prædicat, traditq; postquam Rex Ægypti, in quam fame Chanana à

C

pres.

pressus secesserat, potestatem fecerit congregandi cum præstantissimo quoque Ægyptiorum ac doctissimo, vanissimos esse eorum de religione sermones, nihilque prorsus veritatis habere, declarasse: imò etiam numerorum scientiam & siderum benigne illis communicasse. Sed & profanos, qui cum laude Abrahami meminerint, scriptores adducit. Post filius Isaac eandem sapientiam à patre velut hæditario jure accepit. Neque enim dubium est, quin aman- tissimus pater, quas artes aliis, iisque peregrinis tradebat, earum filium quoque suum peritissimum esse voluerit.

XLIX. Neque aliter sentiendum de Iacobo. Cujus quanta in rebus naturalibus solertia & peritia fuerit, vel ex miro illo artificio, quo apud socerum Labanem in conceptu ovium gubernando usus esse dicitur Genes. xxx. elucescat. Ex hujus filiis magnam nominis celebri- tatem indeptus est Josephus. Qui, cum adolescens ad- huc, fratrum invidia, Ismaëlitis atque per hos Ægyptiis venditus, variaque deinceps usus fortuna, tandem Regi somnium feliciter interpretatus esset, quod Ægyptiorum præstare poterat nemo, omnium sapientissimus, cum re- ipsa esset, ab omnibus habitus est.

XLIX. Atque hæc tam illustria fuerunt, ut à profa- nis quoque rerum scriptoribus, quanquam falsis quibus- dam admixtis, memorentur. Digna sunt adscribi, quæ Justinus habet lib. 36. ubi, *minimus*, inquit, *etate inter fra- tres* (filios Israël, quos decem fuisse dixerat) *Josephus* fuit: cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interce- ptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus de- portatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, brevi ipsi Regi percharus fuit. Nam & prodi- giorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligen- tiam condidit, nihilque divini iuris humanique ei incogni-

tam videbatur: adeo ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit, perissetque omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius Rex edicto servari per multos annos fruges iussisset: tantaque experimenta eius fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur. Hæc Justinus. In quibus etsi quædam abeunt à vero, pleraque tamen cum ijs, quæ divinis monumentis traduntur, pulchre conspirant. Qui consensus sacra & ethnica historia non modo delectationem mirificam bonis mentibus adfert, verum etiam ad certitudinem assensionis & fidem prophetica historia confirmandam plurimum prodest. Quæ verba sunt Davidis Chytræi, Viri insigni eruditione nec minore prudentia & moderatione, argum. 1. 2. Herodoti.

L. Post eminuit Moses, (quem Josephi filium fuisse atque ab eo paternæ scientiæ hæreditatem accepisse, per errorem tradit modo laudatus historiarum scriptor) eruditus in omni sapientia Aegyptiorum potensq; factis & dictis, uti habetur Act. vii. 22. Unde & ipse celeberrimi nominis est apud profanos scriptores, à plerisque eorum, ob insignia, quæ virtute Dei edebat, miracula, inter magos relatus. Vid. Lud. Viv. notis ad Aug. de C. D. l. 18. c. 8.

LI. Is cum inter mortales esse desisset, præter Iosuaam aliosque sapientia manuque præstantes duces, floruerunt Lxx. Seniores, ab ipso Mose, Dei Opt. Max. jussu, in partem laborum vocati. Quos credibile omnino est, postquam de Spiritu (vel sapientia, uti est in notis Vatabli) Mosi accepissent, & sapius cum eodem versarentur, viros sapientissimos evasisse & Mosaicæ philosophiæ hæreditatem ad successores transmisisse. Apud quos tamen, vel negligentia ipsorum, vel injuria & calamitate temporum, corrupta paulatim & subinde quædam delis

11172V

C 2

quia

quia passa est: donec exurgeret Samuel fatalis quasi quidam reipublicæ & sapientiæ instaurator.

LII. Hunc exceperunt incluti duo Reges, David ejusque filius Salomon: de quorum insigni sapientiâ ipsæ sacræ literæ gravissimum testimonium perhibent. Et de Salomone quidem exertim dicunt, quod sapientiâ superaverit omnes mortales. Unde factum est, ut fama ejus longe lateque diditâ, excita Regina Sabæ, (quam alij Nicaulam, alij Nicannam, alij Makedam vocant) magno suscepto itinere ad ipsum venerit, & postquam acutis quæstionibus explorasset, ingenue fassa fuerit, longe se majorem opinione & fama deprehendisse sapientiam Salomoneam. Sed nihil opus est pluribus hæc persequi: cum à quovis ex sacris literis peti possint. Legant, quibus volupe est, quæ traduntur I Regum IV. 29 seqq. x. i. seqq. Ecclesiast. I. 16. Sapient. VII. 17. seqq. quibus jungi potest Iosephus I. 8. Antiq. c. 2.

LIII. Sed nimis longum futurum esset, omnes & singulos sapientiæ nomine inter Semi posteros illustres enumerare; non possumus tamen silentio præterire Daniëlem Prophetam qui non pietate tantum, sed & sapientiâ maximus fuit, atque per eandem è servitute ad summos honores evectus, potentissimis Regibus charissimus existit. Quorum gratia & favore adjutus scholas purioris sapientiæ in Persia dicitur instituisse. Unde Magos illos, quos Servatorem nostrum recens natum adorasse & muneribus donasse memorat Matthæus, venisse verosimilimum censent Viri docti.

LIV. Verum enimvero in ipsa Iudæa post captivitates & peregrinorum suscepta imperia, ipsa etiam Philosophia defecit, & magnam labem contraxit. Factum enim inde est, ut non tantum studia languerent, verum

verum etiam multa peregrina invehentur, ac scholæ doctorum, varijs paulatim opinionibus distraherentur. Quæ opinionum divortia sectas tandem pepererunt: quarum præcipuæ tres fuerunt, Essæorum, Sadducæorum & Pharisæorum. De quibus videatur Iosephus lib. 13. Antiq. Iud. c. 9. lib. 15. c. 13. lib. 18. c. 2. cum primis lib. 2. de bello Iudaico cap. 12. ubi instituta illorum hominum recenset.

LV. Inter alios populos, qui ad nominis celebritatem sapientiæ studio pervenerunt, primi ferè omnium memorantur ab antiquis scriptoribus Assyrj, qui & Babylonij & Chaldæi appellantur, siderum cum primis rerumque cælestium scientiæ callentissimi. Enimvero cum propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolabant, verba Tullij sunt lib. 1. de Divin. cælum omni ex parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones motusque stellarum observaverunt, quibus notatis, quid cuique significaretur, memoria prodiderunt. Et Aristoteles noster industriam eorum ut & Ægyptiorum in illo studio commendat, dicitque, nos ab illis *multam fidem* (πολλὰς πίστις) *habere de unoquoque astrorum*: lib. 2. de Cælo cap. XII. text. 60. Vid. etiam Prophetia Danielis, in qua frequens Chaldæorum sapientum mentio occurrit.

LVI. De Ægyptijs itidem ex sacris res nota est: quæ dicunt omni eorum sapientia Mosen institutum. Plurimum autem sese exercuerunt in Mathematicis disciplinis. Et Geometriam quidem necessitate excoluerunt, verba sunt doctissimi Viri Ludovici Vivis Not. in August. de Civ. Dei lib. 18. cap. 39. quippe qua imprimis egebant, cum turbatis crescente Nilo agrorum finibus, postquã ablus in suum amnem redierat, sua cuique essent restituenda, nec alia ratione constare possent agrorum dimensus, nisi adhibita,

bita, quæ ex certis coalita principiis fallere peritos mensores
requirit: ideo Geometria est nominata, quasi terra mensio.
Astronomia verò se dediderunt commoditate, ut qui serene
nas semper haberent noctes, aspicerentq; tractum cæli late pa-
tentem nullis nubibus, nullis nebulis turbarum, facie ortus,
occasus, progressus regressusq; siderum animadvertere potu-
erunt. Quæ res & ad cognitionem erat iucundissima, & ad
vitam fructuosissima, & humani ingenij exercitatione digna:
tum his duabus, Geometria & Astrologia addita est illa velu-
ti subserviens, & cuius ministerio hæc carere non possunt, co-
gnitio numerorum, quæ Arithmetica dicitur.

LVII. Atque hoc ipsum procul dubio ansam de-
dit Aristoteli & Straboni existimandi, ab Ægyptijs pri-
mum inventas & constitutas esse Mathematicas discipli-
nas, lib. 1. Metaph. c. 1. lib. 16. Geograph. Quas tamen
ab Abrahamo eos didicisse supra ex Iosepho cognovi-
mus. Cui calculum suum adjicit L. Philippus Müllerus
Mathem. in Acad. Lips. Prof. Mathem. Aristotelicæ disp.
1. §. 3. Neque negandum est, plura alia, saltem quæ cum
scriptura convenire videntur, ab Hebræis, quibus cum
jam à temporibus Abrahamæ frequenter & diu versati sunt,
ipso accepisse. Cum primis à Iosepho, cui, cum à Rege
secundus esset, omnem populum oportuit esse obsequen-
tem, (Gen. xli, 40.) Credibile autem omnino est, vi-
rum tanta sapientia & prudentia, dignitate insuper & au-
toritate instructum, non rem modò frumentariam, cui
à Rege præfectus erat, curasse: sed & alia multa ad regni
salutem spectantia, quæ inter haut profecto minimum
est veræ sapientiæ professio & cultus, instituisse & fovisse.
Vid. Psalm. cv. 20. 21.

LIX. Quamvis autem Iosepho & Rege, cuius gra-
tia suffultus ista præstiterat, è vivis sublato in pejus omnia
mere

ruere coepisse diffidendum non sit: aliqua tamen rudera
& veritatis *δοσπασμάλια* procul dubio remanserunt. Et
si, inquit Melanchthon Chron. lib. 2. doctrina de Deo post
Ioseph mutata est, & post exitum Israëlitarum ex Aegypto,
& saepe postea magna regni vastationes acciderunt, tamen
doctrina de motibus caelestibus, & de natura rerum in Aegypto
conservata est, tot Monarchiarum tempore, Assyriae, Persi-
ca, Graeca & Romana, usque ad barbariem Mahumeticam, fe-
rè tribus millibus annorum.

LIX. Aethiopes quod attinet eorumque Philoso-
phiam, res est obscurior: quod pauca hâc de re ab an-
tiquis tradita sint, & si quæ tradita fuerunt, ea
temporum iniquitate perierint. Cujusmodi for-
te fuerunt in libris Diodori Siculi amissis, in quibus
de rebus Orientalibus egerat. Dubium tamen non est,
quin ab Abrahamo, cujus propago existimantur ex se-
cundaria conjugè Cetura, aliquid sanioris sapientiæ hau-
serint: tum verò etiam à Mose, qui eos in Aegyptum
infestis copiis irruentes feliciter profligasse, cæcidisse,
urbem eorum munitissimam, proditione filiae Regis,
quam postea in uxorem duxerit, cepisse traditur à Jole-
pho lib. 2. antiq. c. 5. Philostratus in peregrinationibus
Apollonij, & ex ejus sententia Hieronymus Paulino scri-
bens, ipsi tribuit Gymnosophistas: uti testatur Lud. Vi-
ves annotat in Aug. de Civ. Dei lib. 14. c. 17.

LX. Apud Indos celebres fuerunt Brachmanes,
(quos à generis autore Abrahamo sese appellasse existi-
mat Doctissimus Vir Theodorus Zvvinggerus præfat. in
libb. eth. Arist.) & Gymnosophistæ. Exteris primum
innotuisse videntur per expeditionem Alexandri M. Un-
de qui hujus res gestas memoriæ prodiderunt, illorum
etiam mentionem faciunt, vitamque & disciplinam de-
scri-

scribunt. Videatur Plutarchus in vita Alexandri. Q. Curtius lib. 8. & recentior historicus Marcus Zuerius Boxhornius hist. univers. pag. 200. & seqq. Ubi prolixam Indorum Philosophorum descriptionem, ex Porphyrij de non necandis ad epulandum animantibus lib. 4. de promptam, acceptamque ab hoc ex Bardesane Viro Babylonio comite Indorum, qui eâ tempestate ad Cæsarem venerant, licet reperire. Mirum est, quod referunt caput & doctorem ijs fuisse Buddam, quem è latere suo produxerit virgo: quo commento utrum ad morum vitæque integritatem respexerint, an de natalibus Evæ è viro virgine inaudierint, incertum.

LXI. Inter Persas constat magno in honore habitos esse ob philosophiam Magos, quos à Zoroastre, [quem alij Chamum filium Noachi, alij Bileamum filium Beor, cujus mentio fit Num. xxii. & seqq. capp. nec non Ios. xiii, 22. fuisse suspicantur] institutos esse tradunt graves scriptores. Erant autem humani & divini Iuris Interpretes, ac tantæ existimationis, ut Cicero scribat, neminem esse potuisse Persarum Regem, qui non antea Magorum scientiam & disciplinam percepisset. Docebant enim *ἡ ἀσπίδα* & imperandi modum suis Regibus tradebant. Unde, cum ad intima admitti secretorum gnari essent, atque in magna dignatione constituti, ausi sunt post mortem Cambyxis, huiusque fratrem interemtum, ad ipsum regnum aspirare, atque suorum aliquem in solio collocare. Vid. Justinus lib. i. Habitum ipsis vitæque peculiarem fuisse tradit Laërtius proœmio in vitas, ubi etiam aliqua eorum dogmata recenset. Iung. Casp. Peuceri magnæ doctrinæ & prudentiæ Viri comment. eruditissimus de præcipuis generibus divinationum pag. 136.

LXII, Sed

LXII. Sed & apud Scythas aliquid curæ fuit sapi-
entia impensum. Nam *hi quoque*, inquit Vives ad Aug.
de C.D. l. 8. c. 9. *philosophati sunt olim, & de generis antiqui-
tate cum Aegyptiis certarunt: genus hominum forte simplex,
iustum, vitiorum & malitia ignarum, nactum ingenio natu-
rali, quod Græci magnificis illustribusque disciplinis nequiverunt.* Contentionem illam Scytharum cum Aegyptiis
describit Justinus lib. 2. ubi eosdem à fuga imò ignora-
tione vitiorum studioque virtutum, qui fructus est phi-
losophiæ, magnopere commendat. Q. Curtius *in-*
stissimos vocat *Barbarorum*: & paulo post, *Scythis*, inquit,
non ut ceteris Barbaris rudis & inconditus sensus est. Qui-
dam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcunque
capit gens semper armata. Tum orationem unius legato-
rum ad Alexandrum missorum subjungit: ex qua ve-
rum esse, quod dixerat historicus, facile apparet. lib.
vii. de rebus gestis Alex. M. Neque parum huc facit,
quod è Scythia oriundus quoque fuit Anacharsis cele-
bris Philosophus, cujusque adeo vitam descripsit Dioge-
nes, perhibens ibidem Scytharum Regis fratrem eum
fuisse, & cum Athenas venisset, arctissimis amicitia vin-
culis Solonem sibi devinxisse.

LXIII. Denique Galli priscis temporibus philo-
sophiæ studio maximè inclaruerunt: cui, qui præcæ-
teris dediti erant, Druydæ vocabantur, in magna apud
suos autoritate constituti, & pene divini habiti. Nem-
pe simul sacerdotes & philosophi erant, uti in Ægypto.
Præter alios mentionem eorum facit Cæsar lib. 6. comm.
Gall. bell. & Pomponius Mela lib. 3. de Orbis situ cap. 2.
his verbis; *Habent (Galli) & facundiam suam, magistrosq;
sapientia Druydas. Hi terra mundique magnitudinem &
formam, motus cæli ac siderum, & quid Dii velint, scire pro-*
D *fiten-*

fiuntur: docent multa nobilissimos gentis clam & diu vice-
nis annis in specu, aut in abditis saltibus. Vnum ex iis, quæ
precipiunt, in vulgus effluit, videlicet, ut forent ad bella me-
iores, æternas esse animas, vitamq; alteram ac manes, No-
minis eorum quæ ratio sit ac origo à doctis quæritur.
Nonnulli, Plinium secuti, dictos putant Druidas à *deus*
i. e. quercus, quod sub quercuū umbraculis philosophari,
& sacra sua conficere soliti essent, seu, ut ipse Plinius lo-
quitur, quod visco & arbore in qua gignatur, nihil habe-
ant sacratius. Verum alii hoc improbant, & non tam è
Græca, quod Druidæ Græcis fuerint ignoti, quàm Celtica
lingua, qualis etiam Gallica Vetus fuerit, nominis ori-
ginem arcessendam esse existimant. *Non dubium est, in-*
quit doctissimus Vossius, quin origo eius vocabuli peti de-
beat è lingua Celtica: qualis & Britannica ac Gallica vetus.
Britannis vero, uti & Germanis, Dru fides, pro quo alii Trou
dicunt. Vnde & Deus Veteribus Germanis Drutin sive Trudin:
ut videre est ex Othfridi Evangelio. Itaque Drudin signet di-
vinus aut fidelis, Vtraque vox sacerdotibus conveniens. lib. 1,
de orig. & progr. idol. cap. 35. Junge, si placet, Christ. Bec-
mannum de Orig. Lat. ling. pag 258, & Georg. Hornium
hist. philoso. lib. 2. cap. 12.

LXIV. Ita se habet Origo Philosophiæ, ejusque
inter Barbaras, ceu Græci appellant, gentes studio &
cultu. Hinc jam Barbarica secta est constituta. Scien-
dum enim est, tres universè distinctionis gratia constitui
philosophorum Sectas, per nationes & populatim, non-
dum autem per homines aut capita distinctas: Barba-
ricam, Italicam & Græcanicam. Barbarica est, quæ ex-
tra Græciã & Italiam, licet apud cultissimos alioquin po-
pulos, cujusmodi profecto fuerunt Hebræi, Ægyptii alij-
que, & antiquissima quidem extitit. Atque adeo ad hæc
perti-

pertinent, quos hactenus enumeravimus, omnes. De Græcanica & Italica postea dicemus, cum prius nonnulla, circa barbaricam peculiariter observanda, exposuerimus.

LXV. Et primo quidem deprehendimus barbaricam illam philosophiam, cum primis apud eos, qui à vera veri Dei cognitione & cultu deficientes ad *εἰδωλομανίαν* & *δαιμονολατρείαν* sese contulerunt, cujusmodi fere omnes fuere, præter Hebræos, multis corruptelis obnoxiam & superstitionibus inquinatam, permixtamque fuisse; in illicitam denique Magiam degenerasse. Enimvero cum gentium istarum ferè omnium philosophi, simul quoque fuerint sacerdotes & sacrorum antistites, ex ipsius religionis corruptione & falsitate non potuit etiam philosophiæ corruptelarum & falsitatum plurimum non aspergi & permisceri. Quo in negotio Diabolum quoque strenuè suas partes egisse nullum est dubium, suasque præstigias & fraudes sub honesto admirandæ & raræ cujusdam, naturalis tamen, cognitionis schemate occultatas sparsisse. Neque id difficile factu ipsi fuit apud homines, quos deditos aliàs sibi habuit & obsequentes. Et vero possemus id ipsum singulatim probatum dare, nisi propositæ brevitatis ratio esset habenda. Sed & abundè cognosci potest, de Ægyptijs cum primis, ex Nobilissimi Dn. Conringij, Præceptoris nostri venerandi, lib. de Hermetica Medicina.

LXVI. Deinde philosophi illi, saltem plerique, in sua doctrina propaganda non videntur adhibuisse artificium demonstrandi, optimum docendi instrumentum: sed quæ vel ab alijs acceperant, vel ipsi adinvenerant, tanquam præcepta quædam, alijs porro tradidisse. Ad quod magnam habebant opportunitatem itidem ex



60, quod tantum non omnes simul erant sacerdotes: quo-
rum doctrina sacra statim audivit, & tanquam à numine
profecta habita est: ut proinde dubitare de ijs, quæ pro-
ponerentur, aut, verane ea essent an falsa, inquirere, ne-
dum ijs contradicere, grande piaculum fuerit. Quæ pro-
fectò res errorum, qui irrepsent, emendationi, ipsiusq;
scientiæ perfectioni, non potuit non plurimum obstare.

LXVII. Præterea mos illorum fuit hominum, o-
nnem meliorem doctrinam admodum obscure & per
ænigmata proponere; imò, uti de Ægyptiorum philoso-
phia loquitur Plutarchus in de Iside & Osiride libro, *ple-
raque fabulis occultare, ac sermonibus obscura veritatis indi-
cia & argumenta habentibus*. Quo ipso fieri aliter non po-
tuit, quin discantium in sapientiæ studiis profectus & in-
crementa haut parum sufflaminarentur. Et verò mul-
tum auxit illam obscuritatem atque adeo docendi pari-
ter & discendi difficultatem hieroglyphica illa, quam
vocarunt, apud Ægyptios præcipuè usitata, ratio scriben-
di: quâ per *imagines animalium*, verba sunt Lud. Vivis
annot. in l. 18. August. d. C. D. c. 39, *quæ ἱερόγλυφα γράμ-
ματα h. e. literas in sacris sculptas nominabant*, animi sui
sensa prodebant.

LXVIII. Denique scire hîc etiam refert pauca
hodie superesse à barbaricæ philosophiæ cultoribus scri-
pta ingenij doctrinarumque monumenta: imo quæ
circumferuntur, tantum non omnia supposititia esse,
dubiæ saltem fidei, aut interpolata. Unde tantum abest
ut multum juvari posse nos in studio veræ Philosophiæ
illorum inventis sperare possimus; ut, quænam ea fuerint
ne nosse quidem aut tuto credere quibusvis asserentibus
liceat. Nec vero, cum ad eum, quem jam diximus, mo-
dum sese habuerit omnis illorum doctrina, quicquam
causa

causæ est, cur quis magnam ea propter jacturam fecisse rem literariam existimet, aut de perditorum desiderio magnopere vexetur: nisi forte post fruges inventas glandibus vesci malit.

LXIX. Cæterum videndum nunc est, quomodo ad Græcos etiam pervenerit & ab iisdem exulta fuerit philosophia. Hi verò prima quidem initia à Barbaris, cum primis Aegyptijs & Phœnicibus acceperunt: ad quos proinde longas & diuturnas peregrinationes, solius sapientiæ discendæ gratia, susceperunt: postquam autem semel compotes ejus facti sunt, fatendum profecto est, palmam eos reliqui totius orbis hominibus præripuisse; atque sic sese gessisse, ut jure meritoque tribui ijs possit & omnino debeat, Philosophiam apud ipsos optime educatam, imò tandem ad summam ferè perfectionem atque ἀριστην deductam esse.

LXX. Enimvero cum, quemadmodum præ alijs populis libertate gaudebant Græci; *ita arguti essent naturâ*, verba sunt Peuceri comment. supra laudato pag. 120. νοήσορες, ἑλεγκτοὶ καὶ τιλόνοιοι, & *facundi, atque amantes ac perquam cupidi & studiosi novarum & argutarum inventionum*: neutiquam ijs, quæ à barbaris populis, Aegyptijs, Chaldæis, Persis, Phœnicibus primi accepissent, acquiescendum sibi esse arbitrabantur: sed potius ipsi pro se quisque suum ingenium consulebant, ab alijs dicta accurato examine ad trutinam expendebant, atque adeo non tam à quo, sed quid & quâ de causa aliquid diceretur, attendebant. Unde brevi admodum temporis spatio magnum apud ipsos incrementum omnis bonæ eruditio accepit: ut nulla fere Philosophiæ pars fuerit, quam non ingeniosis suis inventis locupletarent.

LXXI. Primi eo studio nominis quandam cele-



britatem indepti sunt septem, quos vocarunt, Sapientes; Thales Milesius, Solon Salaminius, Periander Corinthius, Cleobulus Lindius, Chilo Lacedæmonius, Bias Prieneus, Pittacus Mitylenæus. Quanquam aliquos eorum rectius dixeris viros fuisse cordatos & prudentes Legumlatores quàm Philosophos aut sapientes. Inter omnes, *rerum naturas scrutatus, eminuit: maximeque admirabilis extitit Thales, quod Astrologia numeris comprehensis, defectus solis & luna etiam predicere potuit: uti de eo scribit Augustinus lib. 8. de C. D. c. 2.* Scholam etiam habuit & successores, atque adeo peculiari sectæ originem dedit: quæ ab Jonia, in quâ erat Miletus, *urbs quondam, ut Mela inquit lib. 1. Ionia totius belli pacisque artibus princeps, patria Thaletis Astrologi & Timothei Musici, & Anaximandri Physici, aliorumque civium inclytis ingeniis merito inclyta, Ionica denominata; & Græcanicæ, cujus supra meminimus, initium fuit.*

LXXII. Thaleti successit, cujus modo mentio injecta est, Anaximander. Hic Anaximenem itidem Milesium discipulum & successorem reliquit: cujus auditor fuit Anaxagoras Clazomenius: qui primus, ut est apud Clementem Alex. Strom. lib. 1. scholam & Physicam philosophiam (hanc enim cum primis excolebant illi sectæ dediti: unde & physici dicti sunt.) ex Jonia in Atticam Athenas traduxit: atque ita fundamenta jecit nobilissimi illius philosophiæ domicilij. Quanquam alij, Lærtium secuti, id tribuant Archelao Anaxagoræ discipulo, Atheniensi & Socratis præceptori.

LXXIII. Quum verò istum Jonica philosophia haberet progressum, nova secta orta est, itidem à loco, in quo condita, Italica appellata. Autor ejus Pythagoras fuit. De cujus & ætate & patria variæ sunt autorum & plurimum

rimum inter se differentes sententiæ: quas collectas videre est apud Pererium lib. 4. de antiquis philosophis cap. 4. Plerique tamen Samium eum fuisse, & circa tempora Tarquinij Superbi floruisse tradunt. Is nimirum, cum ingens, quo flagrabat, discendi desiderium domi explere non posset, varias & longe distitas regiones, solius cognitionis acquirendæ gratia, peragravit. Vidit Ægyptios, Chaldæos, Persas, Indos, Græcos, imo, quod aliqui asserunt, in ipsam Judæam penetravit. Quod tamen Lactantio non placet: uti patet ex lib. 4. Inst. cap. 2. Ut ut sit, id negandum non videtur, Pythagoram aliqua ex Judæorum doctrina hausisse: sive jam ab ipsis ea acceperit, sive ab aliis, quibus cum Judæis aliqua consuetudo & familiaritas intercesserat. Josephus certe lib. 1. contra Appionem non solum novisse Pythagoram Judæorum instituta; sed etiam in multis secutum ea & æmulatum esse: multosque Judæorum leges in suam transtulisse philosophiam tradit.

LXXIV. Istâc itaque ratione magnam doctrinam summamque scientiam consecutus *rediit Samum*, Laërtij verba sunt, *offendensque patriâ à Tyranno Polycrate incubari*, in Italiam contendit & Crotone confidens explicare cepit illud scientiarum & sapientiæ penu: ostenditque quid inter tot remotas gentes industria & discendi ardore profecisset. Quod eum feliciter præstaret, multosque sectatores inveniret, præstantissimos in utraque philosophiæ parte viros: secta inde, quam diximus, est enata. Vid. Iustinus lib. xx. Tantus autem honor ipsi à discipulis habitus est, ut ad ea, quæ audivissent, confirmanda, nudam Doctoris auctoritatem sufficere arbitrentur, solenni illâ formulâ utentes: *Αὐτὸς ἔφα.*

LXXV. In Schola successisse dicitur Theano uxor,

xor, post filij Telauges & Menaxarchus. His porro alii
subjungunt Xenophanem Colophonium, tum Parme-
nidem Eleatem, post Melissum Samium, Zenonem Ele-
atem Dialecticæ inventorem, Leucippum Eleatem, De-
mocritum & Protagoram Abderitanos, Metrodorum
Chium, Diogenem Smyrnæum, Anaxarchum Abderita-
num, Pyrrhonem Eliensem, Nausiphanem & Epicu-
rum. Quos tamen alij, quoniam in multis cum Pytha-
goricis paria non senserunt, Ionicis annumerant. Alij
denique, præeunte Clemente Alexandrino lib. 1. Strom.
peculiarem exijs sectam constituunt, quam ab Elea, Lu-
caniæ in Italia oppido, Zenonis & Parmenidis patria, E-
leaticam appellant, & in Xenophane Colophonio cæpisse
tradunt. Quibus adhuc annumerari solent Empedo-
cles Agrigentinus & Heraclitus Ephesius, qui ob nimi-
am obscuritatem *απολειπός* dictus fuit. Cæterum quocun-
que referantur, sive ad Pythagoricam sive ad Ionicam
hæresin, sive etiam peculiarem constituent: fuerunt sane
philosophi, præsertim naturalis, studiosissimi & suâ æta-
te magnum inde nominis celebritatem sunt indepti.

LXXVI. Sic igitur se habet secta Italica, autore
Pythagora exorta, & quâ aliqui sub ea comprehendunt,
Eleatica: nec non initium Græcicæ, quæ Ionica hæ-
tenuis audit; deinceps autem continuata, & in plures
scissa, alia nomina sortietur. Italica enim una cum E-
leatica non diu duravit; partim quod capita scholis de-
essent; partim quod sequentes Philosophi è propa-
gine Ionicæ disciplinæ prodeuntes, cum primis vero
Aristoteles, dogmata illorum hominum acriter impu-
gnarent.

LXXVII. Ipsi vero illi quamvis merita laude
non sint fraudandi; imperfectior tamen fuit adhuc &
mul-

multis defectibus laborans illorum philosophia. Nimirum ignari erant artis demonstrandi: sine qua studium veritatis investigandæ, si non planè irritum, anceps tamen & longe difficillimum existit. Zenoni quidè aliqua Dialectices peritia, imo inventio tribuitur: ea vero multum adhuc aberat à vera demonstrandi ratione; in eo tantum consistens, ut propositi problematis alterutra parte arreptâ, interrogando contra Respondentis sententiam differeretur. Atque inde fieri profecto aliter non potuit, quin in plurimos, quos alioquin vitare potuissent, errores inciderint.

LXXIIX. Nec vero hoc tantum mali ex eo est emanatum; sed factum quoque est, ut *ἠπαίδευσις* tractarent, certe ad exactas methodi leges non conformarent, quæ proponebant. Quæ res obscuritatem simul atque insignem docendi discendique difficultatem secum traxit. Quam procul dubio plurimum auxit illa per ænigmata & symbola, quæ vocabant, apud Pythagoræos præsertim usitata, ratio docendi. Tum vero dubitandum non est, peregrinatores illos ex alijs regionibus, cum primis ex Ægypto, multa superstitiona & magica secum attulisse, suæque doctrinæ miscuisse. Ut nihil nunc dicamus de absurdo transanimationis dogmate, quod Pythagoricam hæresin inter cætera reddidit famosam.

LXXIX. Scripta hominum illis sectis deditorum, pauca admodum hodie habemus. Is enim erat antiquissimis ac primis temporibus philosophandi modus, ut nulla suæ disciplinæ præcepta scriptis mandarent; sed per traditionem emanare ad discipulos paterentur; quemadmodum de Pythagoræis expressè tradit Plutarchus in Numa. Atque hoc eò commodius facere poterant, quia prolixis disputationibus abstinentes *βραχυλογίαι*

E

ἡ δὲ ἡμετέρον, uti loquitur Clemens Alex, lib. 1. Strom.
contenti habere decreta quædam & placita à majoribus
recepta, approbata & ad se eodem modo transmissa: quæ
plerumque breves γνάμματα, seu sententiæ erant, carmini-
bus insuper inclusæ; uti iterum legimus apud Plutarchum
de Pythiæ oraculis comment. Et verò patet id ipsum
cum aliunde, tum verò satis luculenter ex septem illo-
rum sapientum præceptis; & versiculis illis sententio-
sis Pythagoræ adscriptis.

LXXX. At enim, etsi forte ita obtinuerit circa
primordia Græcæ etiam & Italicæ philosophiæ; postea
tamen, uti plura semper sunt adinuenta; sic etiam scri-
ptis aliqua traditi cœperunt. Diogenes sane multa ali-
quorum recenset, quæ tamen temporum injuria inter-
cepit. Pythagoram seorsim quod attinet, eum tria quoque
volumina scripsisse Laërtius tradit: Doctrinale, Politi-
cum & Physicum. Circumferuntur insuper aurea, quæ
vocantur, carmina ejusdem. Verum non desunt, quibus
aliud videtur: è quibus duos tantum eosque gravissimos
scriptores nominabimus, Josephum & Plutarchum: qui
clare negant quicquam eum monumentorum elucu-
brasse, lib. 1. contra Appionem & orat. 1. de fortuna seu
virtute Alexandri M. Et in hanc sententiam hodie incli-
nât viri docti, ex Pythagoræ quidem schola promanasse ver-
siculos illos sententiosos, ab ipso tamen illâ serie non es-
se adornatos, existimantes. Interim tamen fragmenta
quædam illorum supersunt à Ioh. Stobæo collecta, atque
ab interitu vindicata. Placita etiam haut pauca cogno-
scere licet ex monumentis aliorum, Aristotelis nimi-
rum, Physicis cum primis & Metaphysicis libb. Plutarchi
de placitis philosophorum; Diogenis Laërtij vitis; Au-
gustini libris de C. D. *multijuga eruditionis copia prægnan-
tibus,*

ribus, uti eos vocat Magnus Calixtus ὁ μακρότερος Appar. Theol. p. 122, & qui ex istis, cum primis de rebus naturalibus, studiosè collegit, Benedicti Pererij lib. 4. de communibus rerum naturalium principijs & affectionibus.

LXXXI. Nunc ad Græcanam disciplinam, ejusq; feliciores auctus est revertendum. Dictum autem supra est, Anaxagoram Clazomenium s. Archelaum Atheniensem ex Ionia philosophiam Athenas traduxisse & Socratis fuisse Magistrum. Hic igitur, itidem Atheniensis, Sophronisci marmorarij & Phanaretæ obstetricis filius ab isto Archelao, junior adhuc, philosophiam naturalem addidit. Qua non contentus novi quippiam ipse est molitus. *Primus* nimirum, verba Tullij sunt, à rebus occultis & ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum Philosophi occupati fuerant, videtur avocavisse philosophiam, & ad vitam communem adduxisse: ut de virtutibus & vitiis omninoque de bonis rebus & malis quæreretur: caelestia autem vel procul esse à nostra cognitione censeret; vel si maximè cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre. Quæ tamen non sunt ita intelligenda, ac si ante Socratem planè nulli moralium civiliumque rerum cognitioni ullam operam dedissent; sed quòd ipse doctrinam de moribus primus ita tractaverit, ut in his universale quæreretur, & mentem ad definitiones applicaret, atque adeo & inductivas orationes & definitionem rei universalis primus traderet, uti Aristoteles testatur lib. 1. Metaph. c. 6. lib. XIII. c. 4. & lib. 1. de part. anim. cap. 1. Nam & Dialectica magis tum excoli cœpit, quam à prioribus erat factum.

LXXXII. Atque hujus etiam beneficio, cum insuper insigni ingenij acumine præditus esset, & tantâ modestia, ut nihil penitus se scire præ se ferret & profiteretur: ambitionem Sophistarum, omnia se scire & docere

alios posse profitentium; quique illa ætate insaniēte sua
sapientia omnem pene Græciam dementaverant, egre-
giè retudit: tumidam eorum doctrinam ea excipiens
versutia, ut pro victoria, quam totis viribus & pectore
omni appetebant, non nisi ruborem, atque astantium
ludibrium & risus reportarent. *Ita enim disputabat, ut
magis eliceret refutaretque sententiam eius, qui cum dispu-
tabat, quàm suam ipse proderet aut affirmaret. Neque enim
putabat esse eius, qui nihil se scire diceret, aliquid asserere,
ut ipse dicit in Theæteto Platonis.* Quæ verba sunt Ludovi-
ci Vivis ann. ad August. de C. D. l. 8. c. 3. Nihil etiam i-
pse scripsit sed Plato & Xenophon discipuli philosophi-
am eius postea in literas retulerunt.

LXXXIII. Ista vero ancipiti philosophandi dispu-
tandique ratione id effecit, ut, cum ex varijs illis & in o-
mnem partem diffusis disputationibus alius atque alius,
aliud atque aliud apprehenderet, quod cuique placebat,
plures sectæ inter se dissentientes & multum disjunctæ o-
rarentur; Academicorum, Cyrenaicorum, Epicureo-
rum, Eliacorum, Megaricorum, Cynicorum, Stoico-
rum & Peripateticorum, omnes ferè in Socratem initi-
um suæ disciplinæ referentes. Nec tamen illæ omnes æ-
què celebres fuerunt aut diuturnæ. Præ reliquis caput
extulerunt & ætatem consecutæ sunt Academica, Epi-
curæ, Stoica & Peripatetica:

LXXXIV. Academicis Plato philosophandi nor-
mam dedit atque auctoritatem, nomen vero gymnasium
eiusdem. Docuit enim & philosophatus est Plato in A-
cademia, villa quadam prope Athenas, loco nemoroso
& subpalustri sita, quæ ab Heroë Academo nomen acce-
pit, uti Laërtius tradit. Tanta vero gloria claruit inter
Socratis alumnos, ut reliquos omnes obscuraret; tan-
tusque

tusque evasit, ut non prioribus tantum philosophis multum præstiterit, sed & subsequentibus, ipsi etiam Aristoteli, dubiam & controversam fecerit palmam. Imo ob maximam eruditionem & multijugam rerum variarum cognitionem, cum magna verborum elegantia & ubere facundia conjunctam, id consecutus est, ut Divinus meruerit appellari. Neque enim Socratica doctrina sicut contentus, sed multas & longinquas sapientiæ studio peregrinationes suscepit. *Cum ingenio mirabili, inquit August. lib. 8. d. C. D. c. 4. longe suos condiscipulos anteciret, parùm tamen putans perficiendæ philosophiæ sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quam longè lateq. potuit, peregrinatus est, quaquaversum eum alicuius nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque & in Aegypto didicit, quæcunq. illie magna habebantur, atque docebantur, & inde in eas Italia partes veniens, ubi Pythagoræorum fama celebrabatur, quicquid Italiciæ philosophiæ tunc florebat, auditis eminentioribus in ea Doctoribus facillimè comprehendit.*

LXXXV. Talis vero licet fuerit Plato, monumenta quoque ingenij admodum præclara, in quibus multa sapientissima cogitationes sparse sunt, uti loquitur communis Germaniæ præceptor Melanchthon, reliquerit aliquo tamè sic satis insignes ejus defectus eruditi notarunt, per quos fieri non potuit, ut in ipso perfectionem suam consequeretur philosophia. *Primum enim illud constat, verba sunt Viri modo laudati, Platonem non scripsisse ordine integras artes, sed liberioribus disputationibus aliàs de alio loco quid probaret, aut quid non probaret, ostendisse.* Quod quam incommodum docentibus pariter ac discipulis, cum notum sit, non indiget, ut pluribus demonstratur.

LXXXVI. Deinde multa sunt hominis ingeniosi & eloquentis, iterum sunt verba Melanchthonis (de tanto enim viro iudicium afferentes aliorum quam nostris verbis uti malumus & debemus.) *ironica & figurata disputationes: quae ad deridendum accommodatiores sunt quam ad docendum.* Tum vero liberam illam in quamcunque partem differendi consuetudinem, Socrati praecatori usurpatam retinens, atque omnia forma Dialogorum proponens Plato ambiguum fere facit, saltem difficile cognitu, quid probeat ipse quid improbet. Hinc Augustinus, [qui tamen aliam maxime cum facit, *ceteris philosophis gentium longè lateq; praelatum*, quae ipsa eius verba sunt,] ita de eo scribit: *cum Magistri sui Socratis, quem facit in voluminibus suis disputantem, notissimum morem dissimulanda scientia vel opinionis sua servare affectet, quia & illi ipse mos placuit, factum est, ut etiam ipsius Platonis de rebus magnis sententia non facile perspicere possint.* L. 8. de C. D. cap. 4. Unde manifestum evadit, cum fructu scripta eius legi non posse, nisi ab ijs, qui jam tum aliquo tempore in philosophiae studio versati, quid veritati magis consentaneum sit, quid minus, dispicere atque arbitrari didicerunt.

LXXXVII. Ceterum Platoni in Academia successor fuit Speusippus, eius ex sorore nepos, qui eam octo tenuit annos. Huic adhuc viventi, sed solutis morbo membris successit rogatu eius Xenocrates Chalcedonius, charissimus Platoni Magistro, ob severum ingenium & probos mores, discipulus. Xenocratem excepit Polemon: is nimirum, qui, cum luxuriosè antea vixisset, & aliquando cum sodalibus ebrius & coronatus scholam Xenocratis irrupisset; hujus de temperantia oratione, quam tum commodum habebat, ad meliorem frugem

gem est reductus, ceu docet Laërtius in ejus vita. Hunc secutus est Crates Atheniensis. Atque hucusque sese porrigit Academia vetus, cujus Præsides haecenus enumerati in Platonis dogmatibus manserunt.

LXXXVIII. Sciendum enim est multiplicem Academiam seu plures Academicorum sectas, & ab alijs quidem tres, ab alijs quinq; ab alijs deniq; novem numerari: quas tamē alijs, & fortè commodius ad duas reducūt, Veterem & Novam. Vetus est Platonica illa, quam diximus, quæq; sic satis adhuc proba fuit. Etsi enim morem in utramq; partem, de rebus ferè omnibus disputandi non migraret, aliqua tamē decreta habuit & ratas ac definitas sententias, quib; firmus assensus præbitus fuit. Nova vero, quæ autore Arcesila coepit, est, quæ de omnibus dubitando, omnia reddidit incerta, & vel ignorantiam vel ambiguitatem introducendo, *novam non philosophandi philosophiam*, uti eleganter loquitur Lactantius lib. 3. instit. c. 4. *constituit*. Mos enim ejus erat, nihil affirmare, sed *ἐπιχειρῆναι* & ab alijs posita assertaque conari convellere atque refutare. Ansam vero ei rei dederat, quemadmodum Idem innuit lib. 3. cap. 6. Socratis ironia, quâ is nihil se scire profitebatur aut simulabat, præter hoc ipsum, quod nihil sciret, male intellecta: nec non variae philosophorum de rebus ac discrepantes à se invicem opiniones. *Ex Philosophorum discordia*, scribit Perer. l. 4. c. 10. *recens fluxit Academia, nihil affirmans & approbans, contra omnes & contra omnia disputans, comprehensionem & scientiam funditus tollens, clamans fallaces esse sensus, infirma iudicia, res ipsas inexplicabilibus obductas difficultatibus, ita ut aut nihil sit verum, aut si quid est, id certè à nobis animo cerni, & comprehendi nequeat.*

LXXXIX. Ad hanc sectam aliqui referunt Pyrrho-

rho-

rhonios, à Pyrrhone ita appellatos: aliqui vero pecu-
liarem ex his hæresin constituunt: quod Pyrrho ejusq;
sectatores longius fuerint progressi, ne id quidem certo
asseverare volentes, nihil posse comprehendi, nihil cer-
tò statui posse: quod tamen Academicis illi pro certo ha-
bebant. De quo discrimine videri meretur Gellius noct.
attic. lib. II. c. 5. Celebris hinc est Academicorum & Pyr-
rhoniorum ἰσοχὴ καὶ ἀκαταληψία. Per quam quid intel-
ligatur ex dictis patet. Unde etiam ἐθεληροὶ, σκεπτικοὶ &
ἑσθητικοὶ sunt appellati. Tollitur autem per hos homines
omnis scientia & ratio philosophandi. Unde philoso-
phos eos esse aut disciplinam aliquam constituere non
immeritò negat Lactantius, *Ignorantia*, inquit lib. 3.
cap. 5. *rerum omnium non potest esse sapientia, cuius est sci-
re proprium. Ita cum philosophos expugnaveris, (Arcefilas)
ac docuerit eos nihil scire, ipse quoque philosophi nomen per-
didit: quia doctrina eius est nihil scire. Nam qui alios repre-
hendit, quod nesciat, debet ipse sciens esse. Cum autem nihil
sciat, quæ perversitas, quæve insolentia est, ob id ipsum se
philosophum constituere propter quod ceteros tollat? Possunt
enim sic respondere: si nihil nos scire convincis, & ideo non es-
se sapientes, quia nihil sciamus, ergo ne tu quidem es sapiens,
quia te quoque confiteris nihil scire.* Gemina his legun-
tur ejusdem lib. cap. 15. & 28. quibus adducendis ad alia
properantes supersedemus.

XC. Ex Socratis discipulis peculiaris quoque se-
ctæ autor extitit Aristippus Cyrenis natus: unde qui i-
psum sectabantur Cyrenaici dicti sunt. Præcipuum ejus
dogma fuisse traditur, quod in voluptate corporis sum-
mum bonum consisteret. Quare & ipse illi indulgens
fortuna præsentis utebatur, ad ejusque nutum se accom-
modabat. Imo quæstus & voluptatis gratia inferiori Dio-
nyso

nyſio Syracuſano Tyranno aſſentari & perferre ab eo
contumelias ſuſtinuit, homine philoſopho indignas.
Idem poſtea dogma amplexus eſt Epicurus, à quo Epicu-
rea ſecta, ſic ſatis celebris, ortum ſuum traxit. Quan-
quam aliqui, ex veteribus etiam, contendunt Epicurum
paria hæc in re cum Ariſtippo non ſenſiſſe. Sane apud
Laërtium, qui ipſi addictior fuiſſe videtur, ipſus diſertè
proſicitur, *ſe, cum dicat voluptatem finem eſſe, non luxurio-
ſorum & nepotum voluptates, easque quæ in gultu & inglu-
vie ſunt poſitæ, ut quidam ignorantes, aut à ſua ſententia
diſſerientes, aut male accipientes, arbitrentur, intelligere;
ſed non dolere corpore, animoq; tranquillum eſſe, & pertur-
batione vacare.* Et Lactantius *Summum bonum in volu-
ptate animi eſſe, Epicurum cenſiſſe: Ariſtippum in volupta-
te corporis affirmat lib. 3. cap. 7.* Plura pro Epicuro excu-
ſando vide in Orat. auſpicali & notis ad eandem Cl. viri
M. Ioh. Conradi Durrij in Acad. Altorphina purioris
philoſophiæ Profeſſoris pag. 17 & 41.

XCI. Ut ut ſit, communior opinio eſt, eandem, quæ
fuit Ariſtippi, ſententiam Epicuri quoque fuiſſe. Nec
vero ipſe ab omni penitus culpa liberari poteſt, ut qui
non tantum in deprædicanda voluptate modum exce-
dens, hominibus aliàs in vitia pronis luxuriandi præbuit
occaſionem, *multosq; ad populare nomen voluptatis invita-
vit,* ceu Lactantius inquit lib. 3. c. 17. Verum etiam ne-
gando immortalitatem animæ & providentiam divi-
nam, fidem omnem & ſocietatem, unaque excellentiſ-
ſimam virtutem juſtitiam è medio humani generis ſub-
duxit, latamque portam flagitijs & ſceleribus aperuit.
Ex ſectatoribus meretur nominari Lucretius poëta Ro-
manus, qui eleganti poëmate totam ejus diſciplinam,
quæ ad phyſicam pertinet, diligenter expoſuit, *vir, judi-*

F

ce

ce Pererio, omni laude dignus, si ad meliorem philosophiæ di-
sciplinam, tantum ingenium tantumque studium ac diligen-
tiam contulisset.

XCII. Eodem fere tempore, quo Epicurea, alia
quædam, huic plane contraria, secta est enata, itidem
ex schola Socratis originem ducens, quam Stoicam vo-
cant. Hujus Inceptor extitit Zeno Citticus seu Citricus
ab oppido Cittio, unde oriundus fuit, ita dictus. Is ini-
tuo auditor & sectator fuit Cratetis Thebani, Cynicæ di-
sciplinæ alumni: cui tamen quo minus se addiceret, ve-
recundia prohibitus est. Erant enim Cynici, quorum
Princeps fuerat Antisthenes discipulus Socratis, ho-
mines rigidi & impudentes, honestatem, quæ in externo
cultu consistit, susque deque habentes. *Mores eorum e-
rant omnibus conviciari & allatrare, reddere in publico ob-
scena sine pudore, operam liberis dare: denique pro palam
facere, quæ quivis nostrum solus vel cogitare erubesceret, vo-
luptatum alioqui insectatores & insignes contemptu rerum o-
mnium, etiam vitæ: uti eos compendio describit Lud.
Vives not. ad August. de C. D. l. xiv. c. 20. Atque ab ista
mordacitate & impudentia canina ~~non~~ quasi canini
sunt appellati. Quanquam Laërtius tradat esse quos-
dam, qui opinentur, ita dictos à Cynofarge gymnasio,
in quo Antisthenes autor docebat. Non diu autem du-
ravit secta, utpote humanæ verecundiæ inimica. Plus
nimirum, *valuit pudor, ut erubescerent homines homini-
bus, quam error, ut homines canibus esse similes affectarent,*
ut Augustinus inquit loc. cit. Præcipui in ea fuerunt, præ-
ter Antisthenem inceptorem, Diogenes Sinopenfis, &
cujus mentionem fecimus, Crates Thebanus, præce-
ptor Zenonis, ad quem nobis est revertendum.*

XCIII. Is itaque, uti itidem jam innuimus, Crate-
tem

tem primūm audivit, atque ab eō virtutis amorem hau-
sit. Ast cum verecundior esset, quam ut se ad impuden-
tiam illam conferre posset, dicitur etiam alijs vacivas
aures præbuisse, Stilponi, Xenocrati & Polemoni. Po-
stea novam ipse sectam condidit, in quam qui se dedif-
sent, Zenonij primum, postmodum autem a porticu (ὀμα-
ρῆς σοῶς) in qua publicum erat gymnasium, Stoici dice-
bantur. Tantam vero ipsi sectæ primus conditor acqui-
sivit auctoritatem, ut post omnibus seculis, vel omniū ma-
xime floruerit & diutissime durarit. Studiosi ejus fuerunt
multi clarissimi que Viri: inter quos emiuerunt Cle-
anthes, qui Zenoni in schola successit; Chrysippus vir
in signi acumine ingenij præditus; Panætius, quem Ci-
cero sapius laudat, & *correctione quādā adhibita potissimū*
secutum se esse, in libb. quos de officijs scripsit, profitetur; &
qui Neronis ætate vixerunt omniū celeberrimi Epictetus
& Seneca, cujus præclara extant monumenta in vulgus
nota. Plura de hac disciplina, ejus cultoribus & placitis
nosse cupientes, ad satietatem invenient cum apud Gel-
lium, Laërtium, alios; tum apud Justum Lipsium libris
quos *Manuductionem ad Stoicam philosophiam* inscri-
psit.

XCIV. Denique Peripatetica etiam secta Socra-
ticæ scholæ originem suam debet. Ejus princeps & ca-
put fuit Aristoteles, Nicomachi Medici Regis Macedo-
num Amyntæ, & Phæstiadis filius, patria Stagirites. Is
rara & incredibili ingenii præstantia præditus, a puero
ijs artibus, quibus ætas illa ad humanitatem informari
solet, innutritus est. Post cum esset annorum xvii. Athe-
nas missus Socratem audivit triennium, a cujus obitu
ad Platonem audiendum accessit, eique per integros vi-
ginti annos adhæsit, prudenter existimans tanti Magistri

doctrinam subito exhauriri non posse. Nec vero interea aliorum sententias ac dogmata cognoscere neglexit: quin potius adeo diligens in evolvendis Philosophorum libris, & omni genere scriptorum excutiendo fuit, ut ejus ædes *Ἀναγνώστῃ* domū vocaverit Plato. Qui ipse eum, ob ingentem veri indagandi cupiditatem, nunc *τῆς ἀληθείας φιλόσοφος*, nunc scholæ suæ *ὁ δὲ* solitus est appellare.

XCV. Hac ratione factum, ut facile præ reliquis Platonis discipulis inclaresceret; ac, cum Philippus Rex Macedoniae, filio Alexandro, generosæ indolis & maximæ expectationis adolescenti, præceptorem quæreret, ille unus ex omnibus, qui tunc erant, philosophis peteretur. Extant literæ Philippi ad Aristotelem apud Gellium lib. ix. cap. 3, quibus ille huic significat, *filium sibi natum esse*, atque adeo *Diis gratiam habere*, non tam quidem quod filius sibi natus esset, quam quod eum nasci contigisset eo tempore, quo Aristotelem informatorem habere posset: sperare enim se, fore, ut eductus eruditusque ab illo, dignus existat & se (parente Rege) & rerum (quæ maximæ illum manerent) susceptione. Nec vero hæc cum spes fefellit. Alexander enim virtutes illas, quibus toti fere orbi jugum imposuit, ab Aristotele accepit. *Quis*, inquit Plutarchus Orat. i. de fortuna vel virtute Alexandri, *unquam maioribus pulchrioribusque instructus rei gerendæ occasionibus ad bellum profectus est? Magnanimitate, inquam, prudentia, temperantia, fortitudine: quibus eum viaticis philosophia ad expeditionem instruxit: ut maiorem à præceptore Aristotele, quam Philippo patre commeatum ad rem gerendam consecutus in Persas moverit. Unde dicere ipse solitus est, plus se præceptori Aristoteli debere quam parenti Philippo: ab hoc enim habere se tantum*

tum vitam, ab illo autem veram vivendi rationem.

XCVI. Cæterum Aristoteles tam præclare meritis de Alexandro, hujusque adeo singulari gratia & insigni munificentia adjutus, ad excolendam perfectè philosophiam animum seriò applicuit, & nihil quod huc facere posset, reliquum fecit; cumque incredibili atque indefesso studio aliarum sectarum dogmata & sententias cognovisset, velut arbiter inter eas ledens ad normam rationis exactas cortexit omnes. Quà in re neq; Magistro suo Platoni pepercit, sed palam ab eo dissensit. Nimirum in animo habebat, quod etiam scripsit contra hunc ipsum de ideis disputaturus, licet amici sint, à quibus dissentiamus, veritatem tamen antiquiorem ipsis habendam. Imo præstare, atq; adeo oportere videri unumquemque veritatis tuenda causa, & præsertim philosophis, hi enim veritatis studiosi sunt, sua ipsorum decreta evertere, lib. I. Eth. Nicom. cap. IV. Quod vero inde homines imperiti similitatem quandam inter Platonem & Aristotelem intercessisse putant, inepta opinio est. Nam ut in senatu in dicenda sententia sæpe amicissimi sine offensione animorum dissentiant, ita boni & docti viri sine acerbitate animorum dissimiles habent opiniones, uti graviter censet Melanchthon orat. de vitâ Aristotelis. Præsertim cum Aristoteles Platoni mortuo aram construxerit & statuam dedicavit, cum honorificentissima inscriptione, uti est apud Ammonium in vita Aristotelis, quam præmisit commentario in Categorias.

XCVII. Docuit vero Athenis in gymnasio, quod Lyceum vocabatur, plerumque deambulando, unde (ἡ δὲ λέξις ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν) Peripateticorum nomen originem traxit, uti Laërtius refert. Ammonius enim comm. ἡ δὲ λέξις ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν paulo aliter tradit; quod etiã summus Vir Isaacus Cas-

saubonus notis ad Diogenem observavit. Traditur tum,
cum docere atque libros scribere institueret, fuisse an-
norum propemodum quinquaginta. Quo munere sum-
mâ cum laude annos tredecim functus est, & non solum
suâ claritate urbem reddidit celebriorem, sed etiam ci-
vibus magna beneficia ab Alexandro & Antipatro, qui
tum Macedoniam gubernabat, & magna gratia Ari-
stotelem prosequebatur, impetravit. Alexandro autem
defuncto, & certaminibus inter Athenienses & Antipa-
trum ortis, invidi & osores de eo opprimendo consilia
ceperunt. Finxerunt itaque adversus eum impietatis
crimen, ac si Deos aspernaretur & religionem conte-
mineret. Ipse vero, Socratis exemplo monitus, iniqua A-
theniensium judicia formidans Athenas reliquit, ad-
diro dicto: se non commissurum, ut Athenienses bis in
philosophiam peccarent: eo ipso Socratis damnatio-
nem, quem calumnijs Anyti & Meliti, sub eodem præ-
textu, oppressum cicutam bibere coegerant, ijs expo-
brans. Itaque in insulam Chalcidem, quæ in fide Anti-
patri erat, concessit, ibique haut diu moratus, diem su-
um obiit anno, ut ferunt, LXXII. ætatis suæ.

XCLIX. Quod jam attinet ipsius philosophiam,
ibi vero, quid prius quid posterius dicamus, vix reperi-
mus: adeo multa præclara, quæque apud alios aliarum
sectarum cultores haut temere deprehendas, occurrunt.
Veniam itaque nobis dabit æquus lector, si instituti ra-
tione habitâ, potiora tantum laudis Aristotelicæ capi-
ta, strictim etiam delibata, attulerimus, & plura atq; ube-
riora ex alijs petenda ostenderimus. Et primo quidem,
ut de variarum rerum cognitione, quâ omnibus fuit su-
perior, nihil dicamus, summopere laudandum & præ o-
mnibus, quos hæcenus enumeravimus, peculiare ha-
bet

bet Aristoteles, quod in rebus, & quæ ab alijs jam tum
verè dictæ essent, & quas ipse adinvenerat, sive sermone,
sive scripto proponendis methodi atque ordinis obser-
vantissimus fuit: atque ita non integras tantum tradidit
disciplinas, verum etiam singulas earum disposuit par-
tes, ut *dexteritatem eius in hac re nondum sit aliquis ab ævo
condito consecutus*, uti loquitur Lud. Vives. not. ad August.
de C. D. l. 8. c. 12.

XCIX. Nimirum cum duplicem de rebus cog-
nitionem haberi posse animadverteret. alteram *ὁρθο-
σίμω*, alteram *ἐπισημονικῆν*: duplicem quoque metho-
dum & convenientem utrique consequendæ rationem
observavit. Et *ὁρθοδόξα* quidem est popularis quædam
cognitio non accurata, non firma, nec ex ipsa propria &
vernacula rerum de quibus agitur, natura ducta, sed ho-
minum de rebus *λόγῳ* & opinionibus fundata: atque
adeo *ὁρθοδόξως* aliquid cognoscere dicimur, cum
mentem nostram non referimus ad ipsam rem cogno-
scendam, eiusque naturam, sed ad aliorum de eâ opinio-
nes; tantum attendentes, quid homines præclari sense-
rint, sive jam verum illud sit, sive falsum. *Ἐπισημονικῆν* vero
est accurata firma & solida, aut tanta saltem quanta ha-
beri potest, modo ex ipsa rerum, de quibus agitur, essentia
ac natura hausta sit: unde *ἐπισημονικῶς* dicimur rem com-
prehendisse, cum aciem mentis nostræ in rei natu-
ram dirigimus, eamque cognoscimus, & causas inveni-
mus cur ita sit. Necessè vero omnino est admittere co-
gnitionis illam diversitatem, partim propter ipsas res
cognoscendas, quæ adeo nonnunquam in abdito latent,
ut non nisi corticem & externam sui faciem ostendant:
atque sic *solum ἐνδόξως*, aut *saltem non summe κατ' ἀλη-
θειαν* possint explicari, uti Scherbius inquit thes. phil. p. 6.

partim



partim ob conditionem humani intellectus, cum in singulis hominibus, in quibus per gradus debet perfici, & ex ignorantiae tenebris paulatim ad clarissimam scientiae lucem educi: tum verò in quibusdam seorsim, in quibus vel ob naturam minus benignam, vel ob defectum rectae institutionis & pravam quandam assuefactionem (vid. Arist. II. Metaph. c. III.) scientificam cognitionem non capit, saltem difficulter admodum admittit. Quos ideo bonis opinionibus imbui oportet: quibus etiam contenti esse solent & possunt.

C. Hanc itaque duplicem cognitionem, tanquam diversos fines, ab oculis habens Philosophus, diversa quoque media, ad eos obtinendos adhibenda sibi esse prudenter existimavit: duplici res tractandi ac docendi modo observato. Quorum alio *παχυλῶς, λογικῶς καὶ διόξων* i. e. partim ex communibus principiis, partim ex hominum opinionibus res exposuit: alio *πραγματικῶς καὶ ὀπισθημονικῶς* i. e. *ἐξ οικείων* seu vernaculis & propriis principiis res deduxit atque demonstravit. Et ad priorem quidem *πρωγυμνασίαν*, quam horis pomeridianis instituit, admisit quoscunque, rudiores etiam ac proletarios, auditores: ad posteriorem verò, cui matutinas horas attribuit, non nisi germanos & justos, quorum nimirum ante ingenium & eruditionis elementa atque in discendo studium laboremque explorasset.

CI. Atque inde suum quoque ortum habet nobile discrimen librorum ejusdem in Acroamaticos seu epistemonicos & Exotericos seu doxasticos: in quorum illis res limatius & ex principiis suis declarantur: in his eadem populariter, & ut hominum opinionibus consen-

taneæ

taneæ sunt, proponuntur & docentur. Quod institutum
etsi malevoli reprehendant, & invidia aut alius alicujus
animi morbi accusare non vereantur; recte tamen &
prudenter, aliorumque præclarissimorum Virorum
exemplo usurpatum ab Aristotele fuisse, cum alij præ-
clari Viri, quos inter Scherbius (de libris Arist. Acroam.
& Exoter. §. 46. & seqq.) & Piccartus, (Isagog. in lectio-
nem Aristotelis cap. II.) tum vero Excellentissimus
Conringius (altera in laudem Aristotelis dicta oratio-
ne) ita demonstrarunt: ut vel verbum addere superva-
caneum sit.

CII. Nec verò ipse tantum Aristoteles ita sese
gessit, verum, ut adhuc præclarius de genere humano
mereretur, expressa etiam, quibus progressus est, alijsque
insistant, vestigia reliquit; quin viam ostendit, ratio-
nemque præscripsit, quâ feliciter liceat sequi. Huc sane
facit, quod non modo varijs, hic illic, locis præclara
παιδείας præcepta inspergit, & attentum lectorem, quo-
modo in hujus illiusve scientiæ tractatione versandum
sit, docet: sed ipsius quoque methodi atque ordinis ra-
tionem primus in methodum redegit, posterisque tra-
didit, pro duplici illa cognitione itidem duplicem:
quarum altera Analytica est, seu doctrina de demonstra-
tione, altera Topica seu Dialectica stricte ita dicta.

CIII. Porro id quoque præclarum & laude dignum
licet in Aristotele observare, quod figurato illo & ænig-
matico docendi genere, prioribus philosophis nimis
usitato, minus autem commodo discipulis, sequestrato
proprietas sermonis & vocabulorum voluit adhibe-
re, adeo, ut, quemadmodum scribit Franciscus Vicome-
catus, eruditus Aristotelis interpres, comm. in lib. I. phys.
auscult. *quibus rebus vocabula propria, quæ propriè res ipsas*
G *expri-*

*exprimerent, non haberentur, nova formaverit, ne vocibus improprijs uteretur. Atque hoc inde factum videtur, quod brevitatis etiã valde esset studiosus: scripta enim ejus, concinnam adeo brevitatem habent, ut si verbum unum detrahatur, non secus sententia evertatur, atque ingens edificium uno sublato lapide sæpenumero corrui, uti iterum loquitur c. l. Vicomercatus: ubi quoque monet hujus rationis dicendi Aristotelem non autorem, sed in ea antiquitatis, cum primis Hippocratis imitorem fuisse. Utrumque eleganter expressit Lud. Vives not. ad August. de C. D. lib. 8. c. 12. additã simul causa quadam affectatæ brevitatis: *amavit, inquit, semper Aristoteles brevitatem rerum ac sententiarum: ne, si extenderet singula, fusq; persequeretur, & copiosè, res in infinitum traherentur, & artis præcepta teneri difficile possent. Itaque illud imprimis laboravit, ne sibi dictum ullum, ac ne verbum quidem esset supervacaneum. Quod dum consecratur, assecutus est, ut nullus verbis figurisq; græci sermonis aptius magisq; proprie sit usus.**

CIV. Etsi vero diffitendum non sit, eã re accidisse, ut minus perspicua & subobscura sint Aristotelis scripta; unde & ipse ab Alexandro, propter illorum evulgationem increpitus, edita ea esse pariter & non edita respondit: eam tamen, quam multi in ipsum propterea torquent [vid. Joh. Francisc. Picus Examin. vanitatis doctrinæ gentium lib. 1. cap. 2. & passim. Petrus Gassendus lib. 1. exercit. paradox. adversus Aristoteles exercit. 4. num. 6. & 7.] reprehensionem non meretur. Neque enim aliter res ex se obscuræ tractari poterant, nec, si vel maxime aliquam obscuritatem Aristoteles affectasset, non habuit ejus rei causas graves & prægnantes. Operæ pretium existimamus adscribere, licet pluscula sint, quæ
pro

pro defensione Philosophi jam tum nobis laudatus phi-
losophiæ in Acad. Paris. sup. sec. Regius Professor scri-
psit initio comment. itidem citati. Nullo, inquit, odio aut
malignitate dicendi hanc rationem sectatus est (Aristoteles,) *sed Hippocratem antiquitatemq; omnem est imitatus. Neque
ideo dixit ita esse editos hosce (auscultatorios) libros. perinde
ac editi non essent, quod veritatem dedita opera celare vo-
luerit, dicendi ratione, quæ intelligi non posset, usus, sed in
rerum quæ tractantur, obscuritatem respiciens, quæ eius mo-
di esset ut quanquam hæc tractatione lumen aliquod ei affer-
re conatus fuisset, ab his tamen vix perspicere possent, qui se
familiariter non audivissent. Ut interim missum faciam,
voluisse eum eâ ratione, Regis maximi indignationem, si quæ
ex librorum editione orta erat, mitigare. Sed, etsi concessero
obscuritatem aliquam ipsum de industria affectasse, non pro-
pterea reprehendendus erit, qui ea ratione sutoribus aut fa-
bris lignariis, communis esse noluit, nec in ignavorum stupido-
rumque hominum, sed excellenti tantum ingenio, maturoque
iudicio præditorum, qui quæ omnem diligentiam in se intelli-
gendo adhiberent, manibus versari. Reprehendantur Py-
thagorici, Empedocles, & alij, qui aut anigmatibus aut fabu-
losis commentis, quæ à nemine possent intelligi, philosophiam
involverunt. Aristoteles sic scripsit, ut, si in excellens aut
etiam mediocre ingenium iudiciumque incidat, quod sedulam
diligentiam adhibeat, eiusque doctrina, quæ per interpretes
Græcos, (veluti per manus) ab ipso Theophrasto, aliisque Aristo-
telis auditoribus tradita est, adminiculo utatur, se tandem
intelligi patiatur.*

CV. Verum non licet omnia, quæ huc facere pos-
sent, adferre: nec opus est aliquid amplius operæ in ca-
lumnijs refellendis ponere: quarum autores extiterunt
tales, qui vel ipsi nulla laude digni fuerunt, vel ambitio-

ne inflati, alijsque affectibus occupati ex Aristotelici nominis ruina aliquam gloriolam quæsiuerunt, doctorum hinc sententijs statim condemnati. Contra autem omnes ferè omnium ætatum & populorum viri boni & docti eã Aristoteli laudẽ tribuunt, quod non tantum præclarissima præquã plurimis alijs adminicula habuerit excolendæ philosophiæ, verũ etiã reapse tam dextre & feliciter excoluerit, perfecerit, posterisque tradiderit, quam alius mortalium nemo. Hinc tam magnifica de eo & invidenda elogia extant tum veterum tum recentiorum, ut majora de homine dici non possint aut præclariora. Cujusmodi, quoniam huc congerere instituti nostri ratio non patitur, videre, qui volet, potest cum apud alios multos, tum apud Ciceronem lib. v. de finibus, Plinium lib. iix. c. 16, Quintilianum Inst. lib. x. c. i. l. xii. c. ii, Diogenem Laërtium in vita. Plutarchum in Alexandro, Augustinum lib. 8. de C. D. c. 12. & Lud. Viv. in annot. Philippum Melancthonem Oratione de ejus vita, Pererium de principijs & affectionibus rerũ natur. lib. v. c. 1, Georgium Hornium hist. philosoph. l. 3. c. 15, denique Ampliff. Conringium 2. orat. in laudem Aristotelis dictis scriptisque; nec non Introduct. in philosophiam natural. cap. 2. num. ii & seqq. Ad eum itaque modum cum se haberet Aristotelica seu Peripatetica philosophia, præstantia & splendore suo alias sectas oppressit, alias obscuravit, certe omnes

Præstrinxit, stellas exortus uti atherens sol.

CVI. In schola ac in docendi provincia Aristoteli successit Theophrastus, primũ Leucippi, post Platonis, demum Aristotelis discipulus, patria Eresius, Lesbicus, Melanti fullonis filius. Is Tyrtaeus initio dictus fuerat, ob nitorem vero eloquendi quasi divinum Theophra-

ophraſtus ab Ariſtotele eſt appellatus, uti eſt apud Laër-
tium in ejus vita, ſucceſſorq̄ue in Lyceo deſignatus. Quæ
deſignatio lepida ſimul & verecunda, quomodo facta
fuerit, legere eſt apud Gellium lib. 13. c. 5. Unde petere
unicuique integrum eſt. Ariſtotele itaque deſuncto o-
mnes ejus diſcipuli ad ipſum conceſſerunt, tan-
to numero ut ad duo millia ſcholam ejus frequentarent,
uti itidem Laërtius ſcribit. Ingenij ſui monumenta plu-
rima reliquit, organica, phyſica & moralia ſcripta: quo-
rum index apud Diogenem eſt, pleraque tamen fa-
talis temporum iniquitas intercepit. Et certe ſi omnia
ſuperſſent, dubium non eſt, quin ingens ex ijs fructus
capi poſſet, & ſapientia Græcorum perfectius cognoſci.
Præclara enim omnino fuiſſe vel ex ijs colligere licet,
quæ ſuperſunt: eſſi & illa tam integra non ſint, quam
ſunt bene à Theophraſto conſcripta.

CVII. Theophraſtum excepit Strato Lampſace-
nus, Phyſici nomen à diligenti rerum naturalium ſcru-
tatione adeptus. Cujus tamen hodie indubitata ſcripta
nulla habemus. Huic ſucceſſit, ceu Laërtius tradit, Ly-
con, ob dicendi ſuavitatem, additâ litera, Glycon quo-
que dictus. Poſt quem quomodo ſeſe porro habuerit
ſchola & ſucceſſio in Lyceo, obſcurius eſt. Recenſentur
ejus cultores à Pererio lib. 4. cap. 2. Critolaus, Diodorus,
Demetrius Phalereus, Dicearchus, Hieronymus, Cra-
tippus. Joſephus lib. 1. contra Appionem memorat Cle-
archum quendam, vocatque nulli Peripate-
ticorum ſecundum. Verum, præterquam quod ſcri-
pta eorum perierunt, genuina etiam, & ab Ariſtotele
introducã philoſophandi ratio apud eos defecit, *itaque
degenerarunt, ut ipſi ex ſe nati videantur* quemadmodum
eſt apud Tullium lib. v. de finibus. Unde Stoica & Epi-
curea

curea secta majora tum incrementa ceperunt.

CLIX. Quod infortunium Peripateticæ philosophiæ ex eo accidisse memorant Scriptores, quod optimis Aristotelis ac Theophrasti libris sub terrâ defossis atque occultatis, non haberent ejus studiosi, quo ad solidè philosophandum adjuvarentur. Donec ea Sullæ Felicis ætate demum manibus hominum teri iterum ceperunt. Contigit enim, quod operæ pretium est compendio hæc referre ex Strabone, (lib. 13.) & Plutarcho: (in Sulla) ut paulò post Theophrasti mortem, cum Aristotelis libri per Neleum Scepsium, cui eos Theophrastus legaverat, ad inertes homines recidissent atque indoctos; ab iisdem inclusi & negligenter habiti tenerentur; metuentibusque, ne ab Attalicis Regibus, quibus parebant, Pergami bibliothecam instrui curantibus auferrentur; in fossa quadam sub terrâ occulerentur: unde, postquam haut mediocriter, partim tineis partim humore corrupti essent, tandem in lucem productos magno pretio redemit Apellicon Tejus. Is librorum quam sapientiæ studiosior, corrosiones illas emendaturus, malum reddidit majus, nec lacunas rectè implendo, & edendo libros mendis scatentes. Post obitum Apelliconis Sulla, cum Athenas cepisset, istam bibliothecam, in qua plerique Aristotelis & Theophrasti libri erant, sibi sumsit, Romamque deportari jussit. Ex ea Tyrannio Grammaticus, conciliato sibi præfecto bibliothecæ, plerosque libros descripsit & compilavit. Ab hoc accepit Andronicus Rhodius, & quoad licuit, emendatos evulgavit.

CLIX. Tum itaque caput iterum exserere cœpit, pristinamque dignitatem recipere Peripatetica disciplina. Habuit enim ex illo tempore viros præclaros, quibus cura iterum fuit

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΙΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣΟΦΕΙΝ ΠΡΑΓΜΑΤΙΚΩΣ
i. e.

i. e. scientificè ad veritatem: cum antiquioribus tantum
licuisset θεσεισ ἀληθειζεν i. e. probabiliter ad opinionem
disputare, uti Strabo loqui amat. Quanquam ea res ob
mendorum in libris multitudinem magna primo cum
difficultate fuerit conjuncta, & minus feliciter processit,
coactique illi fuerint *ὡδὸν εἰκότως λέγειν*: ceu itidem
legitur ap. Autorem jam laudatum.

CX. Atque inter eos primus fuit, quem diximus,
Andronicus Rhodius. Quem deinceps haut pauci, quo-
rum tamen monumenta perierunt, secuti sunt usque ad
Augusti tempora: circa quæ vixit Nicolaus Damascen-
us, ipsius Cæsaris amicus, quem *Virum Magnum* appellat
ὁ πάλιν Conringius noster lib. de Herm. Med. c. 7 Et no-
stri seculi Varro *vastissima eruditionis virum, nec sine lau-
de nominandum*, imo *miraculum hominis* qui post alias ar-
tes & disciplinas perceptas tandem *& toti philosophia se ad-
dixit, in qua omnigenam Aristotelis doctrinam maxime
fuerit amulatus*. Dissert de ratione studiorum pag. 12.
Eodem seculo claruit Adrastus Aphrodisæus, Sub Nero-
ne postea vixit Alexander Ageus: cujus discipulus fuit
Aspasius: à quo tamen opuscula quædam habemus, com-
mentaria in aliquot libros Nicomachi. quæ cum Eustra-
rij Niceni & Michaëlis Ephesij commentarijs junctim
edi solent. Cæterum seculo post natum Christum iii.
floruit & reliquis omnibus celebrior extitit Alexan-
der Aphrodisiensis, ita appellatus, quod ex Aphrodi-
siade, Cariæ urbe esset oriundus. Hoc (Vossij id judici-
um est, lib. 1. de orig. & progr. idol. cap. 1.) *Græcorum
nemo, nedum Latinorum vel Arabum Aristotelis mentem
melius perspexit. Interpretatus est, inquit de eo Pererius lib.
4. p. 26. omnes pene libros Aristotelis diligenter & accuratè;
qua re tantum nomen, tantamq; auctoritatem est consecu-
tus,*

tus, ut nemo olim Aristoteles haberetur, qui non esset Alexandrens. Imo factum inde est, ut κατ' ἐξοχήν Interpretis nomine ab omnibus posterioribus fuerit celebratus. Et certe laus hæc ipsi debetur, quod ipsius studio pristinum nitorem, imo vitam veluti atque incolumitatem recepit Aristotelica philosophia.

CXI. Circa idem tempus inclaruit Galenus, professione quidem Medicus, sed qui philosophiam Aristotelicam, cum primis naturalem, illiusque organum artem demonstrandi, feliciter & cum laude excoluit scriptisque illustravit. Eadem tempora attigit, sed junior adhuc Ammonius Alexandrinus cognomento Saccus, ita dictus, quod relictis faccis, quibus frumenta circumferebat, Philosophicæ vitæ sese dicitur tradidisse. Eodem seculo floruerunt doctissimi Viri, etsi Platonice quam Peripateticæ philosophiæ addictiores, Plotinus, Porphyrius & Jamblichus. Plotini discipulus fuit Porphyrius, Jamblichi vero præceptor, Christianus initio post apostata & blasphemus. Scripsit inter alia libellum de quinque prædicabilibus, qui Organo Aristotelis solet præmitti. Seculo IV. claruit Themistius, qui paraphrasibus iisque doctissimis & perspicuis in Aristotelis multos libros elucubratis magnam laudem invenit, inde κατ' ἐξοχήν Paraphrastes Aristotelis dictus. Nec vero philosophus tantum eximius fuit sed & eloquens Orator ex eo Εὐθεαδὴς appellatus: insuper in magna dignatione constitutus, quippe à Juliano Constantinopoli Consul præfectus. Sequenti seculo Alexandria docuit philosophiam Peripateticam Olympiodorus.

CXII. Post floruit Proclus Platonius quidem, vel ideo tamen silentio non prætereundus, quod paulo post, quando Philoponum memorabimus, mentio ejus sit faci-

facienda. Sed & ejus discipulus fuit Ammonius, cui ipse
profitetur initio commentarij in librum *περὶ ἑρμηνείας*,
is scilicet, qui ad differentiam Ammonij Sacci, jam tum
memorati, *Ἑρμείας* sive à patre, sive ob eloquentiam, sive
ob interpretandi facilitatem, dictus est, cujusque erudi-
tissimi extant commentarij in Porphyrij Isagogen, Ca-
teg. & librum de Interpretatione.

CXIII. Hujus Ammonij informatione usus est
Simplicius, celebris itidem Aristotelis quorundam li-
brorum & doctus interpret, Magni Magistri titulo
honoratus, fervidus tamen Christianorum insectator.
Condiscipulus ejus fuit Joannes, cui industria *φιλοπόνησ*,
professorium munus, quod Alexandria obivit, Gram-
matici cognomentum peperit, non minus præstans Ari-
stotelis interpret. Præ reliquis ei tribuitur libertas in
accipiendis rejiciendisque aliorum sententijs & dictis.
Christianus cum esset, Proclo Platonico philosopho, &
contra christianos calamum stringenti seorsim se op-
posuit, adversus illius de mundi æternitate sermones
octodecim, totidem solutionum libros scribendo.

CXIV. Atque isti sunt Græci, qui vocantur, Ari-
stotelicorum librorum interpretes & explanatores, feli-
cesque Peripateticæ philosophiæ instauratores ac pro-
pagatores. Fuere enim viri longè doctissimi & cum pri-
mis artis demonstrandi peritissimi. Unde, præsertim si
de sensu verborum Aristotelicorum quæstio sit, reliquis
omnibus interpretibus, ex sententia doctorum & in re-
publica literaria principum Virorum, præferendi sunt.
Addi ijs meretur, qui seculo vi. claruit, Anirius Manili-
us Severinus Boëthius Consul Romanus. Hic apud La-
tinos puriorem philosophiam peripateticam egregiè ex-
coluit, & ad eam illustrandam propagandamque, scriptis

H

in

in Categorias & librum de Interpretatione Commentarijs, alijsque præclaris ingenij monumentis, symbolam suam feliciter contulit. Perijt indignâ morte, ob suspicionem una cum socero Symmacho, Viro itidem præclaro, à Theodorico Gothorum Rege capite truncatus.

CXV. Cæterum post illa tempora studia philosophiæ in Græcia & Italia (quæ hæcenus illustria & commoda ejus fuerant domicilia) sic satis diu sunt suppressa, & miserabilis omnis bonæ doctrinæ fortuna subsequuta est: partim quod Gothi, Hunni, Vandali, Longobardi alijque feri ac barbari populi Italiam tanquam eluvione quadam inundassent; partim quod Saraceni, à Mahomete excitati, crebras in Græciam excursions facerent, & omnia longe lateque depopularentur: atque adeo non hominum tantum miserandam stragem ederent, ac oppida devastarent; sed & artibus liberalibus ac sapientiæ interitum minitarentur.

CXVI. Factum tamen est divina providentia, ut rudera quædam & vestigia remanerent antiquæ philosophiæ: unde etiam subinde caput iterum efferre tentavit. Et seculo quidem iix, fuit Damasci in Syria Johannes Damascenus, qui scripsit compendium Dialecticæ artis & naturalis philosophiæ, Seculo x, Michaël Porphyrogennetus Orientis Imperator, curante Barda tutore, philosophiæ studijs restituendis aliquam curam impendit. His posterior dicitur fuisse Eustratius Archiepiscopus Nicenus, cujus in aliquot Nicomachios libros commentaria extant. Seculo xi. Constantinopoli floruit Michaël Psellus, cujus de philosophia libri sic satis multi feruntur. Post Magentinus Archiepiscopus Mityleneus quædam non inutilia in Aristotelem commentaria scripsit. Inde secuti sunt pauci quidam & ignobiliores

res: ut ijs recensendis immorari, non sit pretium operæ futurum.

CXVII. Sed & ipsi illi Barbari, quibus isthæc philosophiæ clades debebatur, aliquid ad ejus conservationem contulerunt. Nimirum cum terras Græcorum, ceu diximus, popularentur, una cum alia præda, libros quoque Aristotelis aliorumque Peripateticorum abstulerunt; & quosdam philosophos captivos abduxerunt. Hinc apud Arabes & Mauros philosophiæ studia excoli cœperunt; ut ea re nonnulli magnam nominis celebritatem sint indepti. Præ reliquis inclaruerunt duo, Avicenna atque Averroës. Et Avicenna quidem non tantum Philosophus sed & Medicus extitit insignis: unde in utroque genere præclaros libros elucubravit. Averroës hujus fuit æmulus & gravis adversarius: qui & ipse præclara commentaria in omnes Aristotelis libros scripsit, ut etiam *Ἐξηγητής* seu Commentator inde meruerit appellari. Vir fuit, Judice Dn. Conringio, *ingenij longè acutissimi & Aristotelicæ philosophiæ callentissimus*. Tanti autem fecit Aristotelem, quanti commentatorum nemo. Imo pro Deo quasi sapientiæ quodam habebat, sibi que persuaserat erroribus plane caruisse, quemadmodum vel ex elogijs illis, quæ ex eo Pererius citat lib. v. cap. i. manifestum evadat. Id vero ipsum uti probari non potest, sic omnino remoram aliquam adfert genuinæ philosophandi rationi & in præsens conjicit periculum errandi. Neque enim, etsi maximus in philosophia Vir fuerit Aristoteles, existimandum est eum nusquam offendisse & ab omni errore vacasse. Nihil ignorare, nunquam falli, ut supra humanam sortem, ita soli Deo est concessum. Quum itaque aliud opinaretur Averroës, non potuit cum ipso Aristotele aliquando errante

non errare etiam & falli. Præter hos vero duos, clari etiam apud Arabes fuerunt Alboasar, seu, ut alij vocant, Albumasar, Avenpace, Algazel, Alpharabius alijque.

CXIX. At interea, dum ista apud homines à fide Christiana alienos & impietati Muhamedanicæ deditos agerentur, densissimæ inter Christianos tenebræ erant, & magna cum omni bonæ literaturæ tum philosophicarum disciplinarum ignorantia. Donec tandem seculo XIII ab illis ipsis Arabibus philosophiæ studia rursus ad Latinos transierunt; auspicijs potissimum Friderici II Imperatoris. Hic nimirum, cum doctrinarum studijs faueret, Aristotelis aliorumque principum Philosophorum & Medicorum scripta, partim Græca, partim vero & potissimum Arabica, qualia videlicet Arabes illi vel legerant, vel scripserant, quæque per occasionem expeditionum Syriacarum ex Asia in Europam translata erant, in latinam linguam converti curavit. Quæ cum nanciscerentur homines, cum primis in monasterijs delitescentes, atque adeo otio abundantes, quos inter non deerant aliqui felici ingenio instructi, avidè in ea involarunt; & quantum ex versione scabra & hiulca percipi poterat, ut intelligerent & assequerentur, operam certatim dederunt. Neque vero omnino infeliciter in illis studijs sunt versati. Notandum vero est ipsos illos, & qui post eorum vestigijs institerunt, Scholasticos dictos esse, hodieque vocari, forte à subtiliore, antecedentibus temporibus minus usitato, docendi ac disputandi genere.

CXIX. Primus fere, saltem dignus qui memoretur, fuit Alexander ab Ales, Doctor Parisiensis, honorario titulo Doctor Irrefragabilis dictus. Post inclaruit Albertus Nobilis Suevus, Episcopus Ratisbonensis, ob
doctri-

doctrinam & eruditionem Magni cognomentum adeptus. Scripsit cum alia multa, tum vero in omnes fere Aristotelis libros commentaria non contemnenda. Physica imprimis ejus scripta egregia sunt & sic satis multa. Neque enim in communioribus tantum fuit occupatus, sed *nec animalium*, verba sunt Conringij nostri nunquam sine laude nominandi, *nec metallorum*, *nec plantarum naturam reliquit intactam*, *haut levem eorum omnium peritiam nactus*, ut qui & *seuerit animalia*, & *omnia metalla Germania suâ etate celeberrima lustraverit*, & *Chymicis operibus fuerit addictus*. Introd. in phil. nat. cap. 2. num. 19.

CXX. Alberti hujus auditor fuit Thomas Comes de Aquino Italus, inuidioso Doctoris Angelici elogio ornatus; sed & Divus esse jussus à Pontifice Johanne xxii. Scripsit plurima & Theologica & Philosophica: quæ inter commentaria sunt in plerosque Aristotelis libros, egregia sane & forte subsequentium Scholasticorum omnium scriptis præferenda. Ludovicus Vives, isti hominum generi alias parum æquus, Thomam tamen vocat *scriptorem de scholâ omnium sanissimum, ac minime ineptum*. Eodem tempore vixit Petrus Hispanus, initio Cardinalis postea Pontifex dictus Johannes xxi, qui magnam illa ætate famam consecutus est Summulis suis Dialecticis: quas tamen ex Michaëlis Pselli synopsis Organi Aristotelis dicitur compilasse.

CXXI. Hos deinceps alij secuti sunt magno numero: inter quos celebriores nominantur Ægidius Columna Romanus Archiepiscopus Bituricensis, Fundatissimus vocatus; Henricus Gandavensis Tornacensis Archidiaconus, dictus Doctor Solennis; Johannes Duns Scotus, æmulus & adversarius Thomæ Aquinatis, quem præcipue impugnandum sibi sumsit. Unde cum uterq;

sectatores defensoresque inveniret, sectæ quasi duæ sunt
enata Thomistarum & Scotistarum. Fuit autem Scotus
acutivir ingenij, & subtilitatis forte nimie studiosus:
quare etiam Doctoris Subtilis cognomen ipsi est at-
tributum. Tum Alexander de Alexandria; Antonius
Andreas; Franciscus Mayronis Doctor illuminatus; Pe-
trus de Palude Gallus; Wilhelmus Occam Anglus, novæ
cujusdam sectæ, quæ Nominalium dicitur, Princeps; Vir
cæteroquin egregius & ausus contra Pontifices, summis
quamvis Imperatoribus tremendos, calamum stringere,
patrocinio Ludovici Bavari Imperatoris adversus illo-
rum injurias suscepto.

CXXII. Vixit tum Durandus de S. Portiano Gal-
lus Aniciensis Ecclesiæ Episcopus, homo acutus, & ut
solent esse tales, singularium opinionum; Petrus de Ver-
beria Aureolus Parisiensis; Robertus Holkoth Anglus;
Thomas Bricoth; Gregorius Ariminiensis, Authentici
titulum indeptus; Thomas de Argentina, Seculo xv.
Petrus ab Alliaco Episcopus Cameracensis, præceptor
Johannis Gersonis Academiæ Parisiensis Cancellarij,
Doctoris Christianissimi; In Academijs, quæ in Germa-
nia seculo superiore xiv fundari cœperant, floruerunt
Marsilius ab Ingen in Heidelbergensi, & Gabriel Biel
Germanus in Tübingensi. Seculo xvi vixit Petrus Ta-
taretus, & qui cum B. Luthero congressus est, Thomas
de Vio Cajetanus Cardinalis alijque plures: quos o-
mnes recensere nimis longum & operosum esset futu-
rum. Sunt verò his etiam annumerandi recentiores,
præsertim Jesuitæ, (hi enim postquam exorti sunt, re-
liquis aliorum ordinum hominibus apud Pontificios
eruditionis atque industriæ laudem præripuerunt) Pau-
lus Sonzinas, Franciscus Toletus Cardinalis, Petrus
Fon-

Fonseca, Benedictus Pererius, Didacus Masius, Chry-
sostomus Javellus, Johannes Baptista Monlorius, Fran-
ciscus Svaretz, Gabriel Vatzquetz, Petrus Hurtadus
de Mendoza, Rodericus de Arriaga, Franciscus de O-
viedo & alij multi. Quo etiam pertinent scripta, com-
muni collegiorum in academijs opera concinnata; cu-
jusmodi sunt Complutensis & Conimbricensis.

CXXIII. Ut vero quid de his aliisque similibus
sentiendum, quidque ex eorum philosophia promittere
nobis habeamus, constet, aliqua isthuc facientia subji-
cere, haut erit fortassis ab instituto nostro alienum. Et
primos quidem quod attinet, eorum aliqui sic satis pro-
bi fuerunt, & magnum ad philosophiam adjumentum
contulerunt; cum primis, quos iam tum laudavimus,
Albertus M. & S. Thomas. *Hi sane & alii*, inquit Dn.
Conringius ὁ πᾶν, *optimi sunt philosophi, etiam cum mi-
nus comiti minusque boni, pra linguarum ignorantia, Aristo-
telis sunt interpretes.* Introd in phil. nat. cap. 2. §. 19. Ni-
mirum cum vitio seculi aliarum quidem linguarum
plane rudes, latinam vero vix mediocriter docti essent,
non ipsi tantum minus pure scribebant & loquebantur;
verum etiam græcum Aristotelis aliorumque philoso-
phorum textum non intelligentes, versione latina ex
Arabico non satis probe & minus feliciter translata
contenti esse debebant. Quare aliter fieri non potuit,
quin in interpretatione, & vera autoris sententia inda-
ganda nonnunquam aberrarent. Ubi tamen hoc impe-
dimentum eis non obstitit, ibi verò egregios se præsti-
terunt. Imo ingenij bonitate, cum in super artis demon-
strandi non essent ignari, id quandoque sunt consecuti:
ut ex translatione minus commoda verum tamen &
commodum elicerent sensum.

CXXIV.

CXXIV. Et profecto fatendum omnino est, magnas ipsis veleo nomine gratias deberi, quod pertinaciorum studio atque opera effectum est, ut philosophica studia in occidente revixerint, quæ inde usque ab irruptionibus Gothicis & Vandalicis neglecta iacuerant, ceu in Chronico suo loquitur Melanchthon. Cum præterea non tantum Græcorum & Arabum inventa plurimum locupletarint, verba Venerandi Horneij τὸ μακροῦς recitamus, verum etiam primi (paucis tamen Græcis exceptis) philosophiam à paganismo & infidelitate Mahometana, tanquam à tyrannide sub Christi obsequium, & ab injustis possessoribus vero, ut omnis creatura, ita etiam ejus Domino vindicarint, ac quicquid labis in servitute illa contraxerat, deterferint.

CXXV. Quæ tamen duo laudabilia instituta ansam non unius erroris post secutis præbuerunt. Enimvero cum Theologiam simul tractarent & Philosophiam, nec tamen limites utriusque satis recte aut religiose admodum observarent, in vitium illud frequenter incidere, quod μεταβάσις ἐῖς ἀλλογίαν & Philosophus noster appellat. Deinde, dum inventis semper addere aliquid conabantur, accidit, ut minutias sectarentur, verba sunt Summi Viri & laude nostra majoris Georgij Calixti τὸ πῦρ ἐν ἀγλῆς Appar. Theol. pag. 137. nimio subtilitatis studio res claras obscuritatibus invalverent, & super fundamento lubrico & sæpe nullo magnas moles questionum, aliquando inutilium, nonnunquam absurdarum exstruerent.

CXXVI. Præterea haut leviter à plurimis eorum peccatum est, quod ipsarum philosophicarum disciplinarum fines sæpius migrarunt, ejusmodi in aliqua disciplina tractantes, quæ ad aliam aliquam pertinebant. Cujus infinita fere exempla proferri possent, si opus sit, nec extra dubitationis aleam positum esse videatur.

Tum

Tum vero non pauci, etsi omnes se Aristotelicos profiteantur, ipsum tamen philosophum non legerunt, saltem non ea, qua decebat, cura & diligentia; sed unum atque alterum nuperum Interpretem. Nec aliud illos agere videas, quam sententias sententiis opponere, easque interpretatione quadam, modo huc, modo illuc torquere. Unde contingit, ut non doceant vere ἐπιστημονικῶς sed dialecticè solum atque ad δόξαν. Quæ πολυμαθῆσάτε Conringij censura est, introd. in natural. philosophiam cap. 2. §. 20.

CXXVII. Ista fere præcipua sunt, quæ in Scholasticorum, cum primis mediorum seu eorum, qui proximis ante renatas bonas literas temporibus vixerunt, philosophia jure meritoque desideres. Ut nihil nunc dicamus, quod magnas etiam tenebras, iterum B. Horneji verba usurpamus, scriptis illorum offundebat elegantiorum literarum, quæ illa secula occuparat, ignorantia: ea enim id effecit, ut tum difficultatem, tum obscuritatem, qua cetero qui per se cum omni abdita & exquisita doctrina coniuncta est, auctores isti non tantum diserta & perspicua oratione non mitigarent, sed de industria etiam augere viderentur. Posset enim hoc ipsum videri temporum infelicitati adscribendum, & inter aliqua alia laudanda condonandum.

CXXVIII. Quæ cum ita se haberent, emendationem quandam cum alia, tum philosophiæ studia summopere desiderabant. Ea vero, summo curante Numine contigit seculo à N. Christo xv. isthac occasione & ratione. Cum Turcæ indies magis magisque Græciam premerent, & non tantum Athenas aliasque urbes, sed & ipsam tandem Constantinopolim, sedem Imperatorum, medio seculi xv. occupassent, atque adeo Imperium Græcum funditus evertissent; factum est ut circa ipsa Constantinopolitani excidij tempora, & paulo ante, viri ejus na-
I tio-

tionis eruditi, barbariem Turcicam declinaturi, in Italiam transirent, Græcasq; secum Musas adducerent. Primus fuit Emanuel Chrysoloras Byzantinus, qui peracta legatione, quam, ut auxilia contra vim Turcarum imminentem impetraret, obierat, substitit in Italia, & in diversis ejus urbibus græcas literas docuit. Secuti postea sunt Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza Thessalonicensis, *quem in Aristotelis doctrina excelluisse* dicit Melanchthon, Johannes Argyropylus Byzantinus, Demetrius Chalcondylas & alij. Neq; vero literas tantum græcas, per aliquot secula illic locorū ignoratas, docuerunt, verum ad ipsam quoque philosophiam, & ex fontibus quidem instaurandam, multum operæ studijque contulerunt, plerosque Aristotelis libros non modo rectius, quàm ante factum fuerat, vertendo, sed & ore scriptisque illustrando.

CXXIX. Commodum vero accidit, quodque merito divinæ acceptum feras providentiæ, ut renascentibus ad istum modū literis faverent, & in earum restitutionum curam incumberent Principes Viri, cum primis Nicolaus V. Pontifex, & hujus exemplum secutus Laurentius Medices Florentinus, civitatis suæ Princeps, magni & munifici eruditorum patroni. Neque parum restitutionem illam omnis eruditionis præclari quidam Typographi adjuvarunt. Præ reliquis laudem insignem hac de re meruit Aldus Manutius Venetus, qui primus omnium magnis laboribus summaque industria, nec minore sumtu optimos quosque libros, atque inter eos Græcorum illorum supra laudatorum Aristotelis interpretum, ubique conquisitos & qua poterat maxima diligentia, varijs invicem collatis exemplaribus, castigatos, excudendos publicandosque curavit.

CXXX.

CXXX. Hinc itaque primùm in Italia sincerioris Philosophiæ studium instauratum, & post in Galliam & Germaniam una cum Græcis Latinisque literis illatum est. Postquam enim Græca iterum legi & intelligi, atque adeo fontes sapientiæ adiri possent, ex his pleno ore licebat haurire, & sine cœno, quæ pridem è turbidis rivis vix summis labijs, neq; admodùm pura, degustabantur. Inter Germanos principe loco jure meritoque locandus divini vir ingenij Philippus Melanchthon, Iohannis Reuchlini seu Capnionis, qui Græcas literas patriæ suæ primus intulerat, è sorore nepos. Is & voce & scriptis ita docuit & illustravit totam ferè Philosophiam, ut quidam quasi fatalis ejus instaurator repurgatorque in Germania dici haut injuria possit. Etsi enim, uti se habent initia, non potuerit ex voto omnia perficere (cum præterea plurimis alijs iisque longè gravissimis negotijs distineretur,) id tamen effecit, ut situ absterso spinisque resectis multum lucis accesserit, viaque strata sit, quâ alij progressi ad pristinam dignitatem pulchritudinemque philosophiam omnem deduxerunt.

CXXXI. Enimvero initio illo feliciter facto & signo quasi sublato plurimi, cum apud Italos, tum apud Gallos & Germanos strenuè sunt secuti, & operam illi rei cum laude impenderunt. Quos omnes enumerare nimis prolixum foret. Celebriores fuere Donatus Acciajulus Argyropyli auditor, Franciscus Vicomercatus, Felix Accorombonus, Iacobus Mazonius, Antonius Montecatinus, Cæsar Cremoninus, Federicus Pendasius, Octavianus Ferrarius, Franciscus Piccolomineus, Flaminius Nobilius, Franciscus Bonamicus, Iacobus Zabarella, Julius Pacius, Andreas Cæsalpinus, alijque.



CXXXII. Cæterum, quæ est mira rerum inconstantia, sub ipsa illa renascentis philosophiæ primordia, internecinum statim malum eidem intentatum est à Petro Ramo Veromanduo. Is enim, *homo latinam & græcam linguam vix ad mediocritatem doctus*, verba sunt B. Horneij, *cætera autem omnis in univèrsam eruditionis expertus, traductis non tantum latinis barbariei, sed ipso Aristotele & omnibus Græcis Interpretibus, imò cunctis qui post homines natos extiterant, sapientibus inscitia & obscuritatis nomine, novam & omnibus retro seculis inauditam philosophandirationem tanta temeritate & confidentia excogitavit & Parisiis publicè docere cœpit, ut nihil esset veteris sapientia, quin ille id exautoraret & sua ei placita substitueret.*

CXXXIII. Verum enim vero quanto typho, iterum recitamus verba viri modò laudati, *nova illa & transmarina sapientia initio se efferebat, tam iniquum experia est patriæ solum: extinxit enim eam statim, & in herba pæne, ipsa Gallia in qua orta erat.* Nam non tantum à Viris Doctis, quos inter erant Joachimus Perionius, Jacobus Carpentarius, Antonius Govæus, qui & ipse jussu Regis cum Ramo coram disputavit, masculè obviam itum est; verum etiam libri, quibus triobolaris illa doctrina continebatur, cum primis Dialectici & quibus in Aristotellè iste animadverterat, post judiciû de ijs à delectis Viris factum, publico Regis Francisci decreto, quod una cum judicio ante xiv. annos H. J. Scheurlæus celebris haut ita pridem hujus Academiæ Doctor, heic excudi fecit, damnati & severè prohibiti sunt.

CXXXIV. Factum interim est, *ut in Germaniam nostram, & vastas ad Septentrionem regiones ideo malum pedem inferret, quod tum temporis gentibus istis bellica gloria & ar-*

Et armis quam literatura addictioribus, pauci apud nos essent qui pro veritate excubias agerent. Et tamen etiam sic fuerunt, qui strenuè contravenirent: inter quos primus & præcipuus erat Vir insigniter Doctus, Academia Tübingensis Antecessor, Iacobus Schegkij, æterna eo nomine memoria dignus. Hic apud nos hydram illam, ut Hercules aliquis, primus contudit Cornelius Martinus, illustre sui seculi & hujus Academiae sidus. Cum enim hunc locum sibi, multis viris doctissimis indignantibus, potissimum delegissent nova illius sapientiae Magistri, ipse aliquot dierum disputationibus solennibus in lucem eos protraxit, idque effecit paucis mensibus, ut & hic & passim in Germania Academicis nugæ illa sordescerent, & paucis ludis puerilibus concluderentur: quemadmodum illis ipsis verbis, quibus non sine causa uti maluimus quam nostris, rem isthanc exponit Venerandus Horneius ὁ μακροπτης præfat. quam Comment. Log. Cornelij adversus Ramistas præmisit.

CXXXV. Neque alibi locorum, qui in eandem curam incumberent, Viri præclari defuerunt. Ut de alijs ex Schegkij Cornelijque disciplina, qui Præceptorum suorum vestigijs gnaviter institerunt, nihil dicamus: religio tamen nobis est silentio præterire eximios planè Viros Philippum Scherbium, Michaëlem Piccartum insignia Academiae Altorphinæ decora, & Joannem Neldelium in Academia Lipsiensi Professore celeberrimū, qui itidē serio nugis illis bello indicto, ijsq; feliciter profligatis veræ philosophiæ, quæ Aristotelica est, decus dignitatemque asseruerunt. Quam deinceps alij atque alij subinde succedentes, alijs porro atque alijs lampada tradendo, ad nostrā usq; ætatem conservatā transmiserunt. Etenim cū interea quoq; nō defuerint, qui no-

vam quandam vel Comenianam, vel Cartesianam
vel Helmontianam procudere atque erudito orbi ob-
trudere conati sunt: nihil contra illi passi sunt in se desi-
derari, quod ad illius incolumitatem atque autoritatem
tuendam facere videretur. Quorum nomina, cum par-
tim, licet defuncti, in recenti tamen hominum memo-
ria adhuc vivant, partim Spartam suam hodieque pul-
cherrime ornet, apponere nihil opus esse existima-
mus.

CXXXVI. Quin potius terminum hic figimus
nostræ *αργυράτης*, obsignantes eam verbis Philippi
Melanchthonis, quibus Is, suam de Vita Aristotelis Ora-
tionem concludens, Auditores est allocutus: *Hac eo di-
cenda putavi, non solum ut magis ametis Aristotelem, sed
etiam ut cogitetis, cur sit amandus & in manibus habendus:
Planeque ita sentio, magnam doctrinarum confusionem secu-
turam esse, si Aristoteles neglectus fuerit, qui unus ac solus
est methodi artifex. Nec alia ratione ad methodum assuefie-
ri quisquam potest, nisi in hoc genere philosophia Aristotelica
mediocriter exerceatur. Quare vos hortor, non solum vestra
causa, sed etiam propter universam posteritatem, ut hoc o-
ptimum doctrinae genus diligenter colatis & conservetis. Pla-
to ait, igniculum illum à Prometheo de calo allatum metho-
dum esse. At hoc igniculo amisso, rursus homines trans-
formarentur in beluas: profecto enim sublata vera docendi
ratione, nihil distant homines à beluis. Ut igitur hunc igni-
culum retineamus, hoc doctrinae genus, quod tradidit
Aristoteles, summo studio conservan-
dum est.*

SOLI DEO GLORIA.




Ne inanem Tibi istam paginam daremus,
benevole Lector, sequentia duorum doctissimorum
Virorum dicta, ab instituto nostro non alie-
na, apponere visum est.

Philosophia unius hominis inventum non est, sed
plurimorum per tot secula experientia nititur. Inter
omnes vero, qui aliorum experientiam & observa-
tiones comportarunt & literis mandarunt, excellit unus
Aristoteles, quam laudem obtinet à tot seculis omnium,
qui solide philosophiam tractarunt, iudicio; evolvat, le-
gat aliquis, perpendat diligenter quæ dicit, nec prius ju-
dicet, quam omnia intelligat, sentiet profecto, quæ Ari-
stoteles posuit, non temere esse prolata, sed adeo ante
ponderata, limata, perpolita, confirmata; ut quousque
humana perfectio pervenire possit, ipse veluti in speculo
nobis exhibeat. Si cui vero Aristotelis lectio sordeat, ei
suasero, ut saltem Historicos ad manus sumat, & quis fue-
rit philosophiæ ortus, quis per omnia secula progressus,
cognoscat, & dignum librum, qui legatur æstimabit,
quod, si ex ullo scriptore, maxime ex Aristotelis commen-
tationibus sapientiam hauriri posse, historiæ verosimile
faciant. *Christianus Dreierus S. Th. D. & in Acad. Regiom.
Prof. &c. præfat. quam dissp. suis in Philosophiam primam
præmisit.*

Quatuor sunt præcipuæ sectæ seu scholæ Phi-
losophorum: Aristotelica seu Peripatetica, Epicu-
rea, Stoica, & Academica recens. Nam vetus parum dif-
fert à Peripatetica. Est autem schola Aristotelica præ-
feren-

ferenda cæteris. Primum quia Aristoteles utitur optima
methodo in Dialectica, in Physica, in Ethica, & reliquis
partibus Philosophiæ. Quantum autem boni sit in me-
thodo, sæpe jam dictum est. Certè nihil melius est ordine.
Deinde Aristotelica schola cæteris antecellit proprietate
sermonis. Non enim ludit genere sermonis novo, qui
non potest intelligi: sed scapham appellat scapham, &
ficum appellat ficum, ut in proverbio dici solet. In omni
autem ratione dicendi plurimum valent hæc duo, me-
thodus & proprium genus sermonis, non figuratum, non
ænigmaticum. His duabus causis adjungatur tertia, quæ
sumitur à bonitate rerum. Nam Aristotelica Philoso-
phia tradit res utiles & bonas, quas magna ex parte extruit
ex fundamentis demonstrationum, ut ostendit lectio li-
brorum Aristotelis. Nemo enim melius tradidit Diale-
cticam quam hic Philosophus. In Physicis & Ethicis plu-
rimæ sunt demonstrationes. *Victorinus Strigelius hypomn.*
in Erotemata dialect. Philippi Melanchthonis lib. 4.

F I N I S



99 A 6993 (1)

ULB Halle 3
002 826 593





f
Sb.

V 8 17

Retro ✓







Q. D. O. M. ⁷ B. V.
DE
NATURA, DIVISIONE,
ORIGINE, ET PROGRESSU
PHILOSOPHIÆ, CUM PRIMIS
ARISTOTELICÆ, VARIIS ITEM
PHILOSOPHORUM
SECTIS
EXERCITATIO,
Quam cum ex privatis tum potissimum
publicis dissertationibus
ANDREÆ FRÖLINGII
PHILOSOPH. MAG. ET LOGICES
PROF. PUBLICI
depromptam,
EODEM PRAESIDE
publico examini exponit
ARNOLDUS RETBERGIUS
NORTHEIMENSIS.
IN NOVI IVLEI AUDITORIO MAXIMO
Ad diem Maji
✻(o)✻
HELMESTADII,
TYPIS JOHANNIS HEITMÜLLERI
Anno cl^o l^o cl^{ix}.

8

